

www.e-rara.ch

**Praelectiones theologicae de Deo mundi, angelorum et hominum
creatore, horumque ultimo fine, ac beatitudine**

Scholliner, Hermann

Salisburgi, 1764

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRI 111

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-32619>

Pars III. De deo, ultimo fine hominis, & beatitudine.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.


Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

„ stat & hoc (ut Ecclesiastica refert Historia) ab Encra-
 „ tis Hæreticis inventum esse, quibus Tatianus auctor ex-
 „ stitit. Præstat igitur Ecclesiæ auctoritatem, & Patrum tra-
 „ ditionem, quam Hæreticorum novitatem sequi. ”



P A R S III.

De DEO, ultimo fine hominis, & beatitudine.

I **C**Um homo per hoc se proprie hominem demonstret, quod modo humano, id est, non tantum intellectivo, sed etiam cum voluntate deliberata, propter aliquem finem operetur: hinc de hominis fine hoc ordine cum D. THOMA pertractari consuevit. Ut enim ait idem S. Doctor I. II. Q. I. A. III. „ Actus dicuntur humani, in quantum procedunt a voluntate deliberata: objectum autem voluntatis est bonum, & finis: & ideo manifestum est, quod principium humanorum actuum, in quantum sunt humani, est finis. ” Quare cum de actibus humanis hoc anno tractandum supersit: primo loco *finis* occurrit, tanquam primum omnium in intentione. Cum autem finis agat, & moveat in virrute boni: hinc prævie observandum, bonum, esse aliquod appetibile; ut merito ARISTOTELES dixerit: I. Eth. bonum esse, quod omnia appetunt; non quidem eo sensu, quasi singula bona appetantur ab omnibus: sed, quia omne, quodcunque appetitur, rationem boni habet, vel veri, vel apparentis; ita, ut sub ratione mali voluntas nunquam in objectum, vel finem, feratur. Bonum autem, quod omnes appetunt, diverso tamen modo, appetitu vel naturali, sive, innato: vel sensuali: vel rationali: Bonum, inquam, istud, quod omnes appetunt, DEUS est, juxta illud: nemo bonus, nisi solus DEUS: qui quidem solus

solus summum bonum est, principium, & ultimus finis, juxta illud: ego *Alpha*, & *Omega*: principium, & finis. Solus ille verum, ac incommutabile bonum, finis universalis creaturarum est, a quo res omnes aliæ bonitatem participant, & in quibus bonum illud universale refulget. Hinc bonum aliud finitum, & infinitum; commutabile, & incommutabile: verum, apparens: temporale, æternum: morale, naturale, & supernaturale: corporale, & spirituale. In hujus ergo Tractatus I. capite agetur de fine ultimo hominis in communi: in II. de vero fine, seu, æterna beatitudine objectiva, & formali. In III. de dotibus animæ beatæ, & corporis gloriosi: ubi de resurrectione, &c.

C A P U T I.

De ultimo fine hominis in communi.

Definitur finis communiter, quod sit id, cujus gratia aliquid fit: vel, ut alii dicunt, est bonum, cujus obtinendi gratia assumitur medium. Dicitur *id*, sive, bonum; quia voluntas nihil appetit, nisi sub ratione boni, saltem apparentis. Dicitur: *cujus gratia*; quia propter bonum intentum assequendum, tamquam primum movens in intentione, cætera omnia eliguntur, & assumuntur, quæ eo aptissima judicantur: ut, si quis sanitatem intendat, ut finem, omnia eo conducentia media adhibet. Quamvis vero dictum sit, finem esse bonum, quod appetitur: attamen finis, & bonum, non sunt reciproca; etiam si enim, quod appetitur ut finis, sit in se bonum, saltem apparenter: non tamen omne bonum, finis est; quia multa sunt bona, propter quæ consequenda nihil fit: uti e. g. Musica est virtus, quam non omnes habere desiderant. Finis, in genere, & in intentione spectati, plures sunt effectus: ac *primo* quidem volitio, seu, amor finis, aut simplex complacentia; ut enim quis finem propositum assequi conetur, sim-

simplici prius amore illum prosequatur, necesse est. Subsequitur deinde intentio, tanquam *secundus*, proximusque effectus; naturale enim est, ut id desideremus obtinere, quod bonum nobis visum est. *Tertius* effectus est consilium, seu, deliberatio circa media, quæ ad finem propositum assequendum apta judicantur. Sequitur *quarto* consensus, quo adhæretur consilio rationis, & acceptantur media, ab intellectu proposita, finique consequendo servientia. Cum vero ab intellectu plerumque proponantur media plura: hinc subsequitur *quintus*, Electio, qui est actus liber voluntatis, quo ex pluribus mediis idoneis unum seligitur, ad finem obtinendum. Quærent hic, an voluntas ex pluribus mediis possit eligere minus bonum? Et absolute quidem loquendo, & ad ostentandam solam libertatem, id fieri posse, haud negaverim: an vero prudenter, ac licite, quando agitur de salute animæ? id dependet ab illa quæstione, vel saltem cum ea connectitur: an liceat sequi sententiam minus probabilem, relicta probabiliore, & tutiore: quæ in Tractatu de Conscientia exanimatur. Electionem voluntatis sequitur *sextus*, Imperium, seu, actus intellectus practici, discernentis usum medii electi, tanquam magis idonei ad finem. *Septimo*, sequitur ipse medii electi usus: ut, sumptio medicinæ determinatæ pro sanitate obtinenda. Tandem *octavo* venit ipsa fruitio, seu, possessio finis, rite electi, tanquam fructus operantis: de quibus latius disserit HABERTUS.

§. I.

An omnes actus humani sint propter ultimum finem?

- 3 **O**bservandandum I. Finis, quem paulo ante in communi descripsimus, multifarie dividitur; alius est enim *finis qui*, seu, bonum, quod propter se intenditur, & cætera propter ipsum: alius est *finis cui*, & est illud subjectum, cui bonum intentum appetitur. Alius *finis quo*: estque ipsum medium, seu actio, qua finis intentus quæritur, ac possidetur.

detur. Ex his tribus constituitur unus finis integer, & totalis: in exemplo: æger desiderat sanitatem per medicinam: sanitas est *finis*, qui appetitur: æger, *finis cui*: medicina, *finis quo*, seu, medium, quo finis intentus obtinetur, aut saltem cum applicatione desideratur.

Observandum II. Ala divisio est in *finem operis*, sive, 4
intrinsicum, qui est ipsum objectum, ad quod opus ex natura rei ordinatur: ut: sublevatio miseræ in erogatione eleemosynæ: & in *finem operantis*, seu, extrinsecum, qui est illud objectum, ad quod operans libere actum ordinat: ut: si quis eleemosynam, quam tribuit pauperi, ad vanam gloriam, vel peccatorum suorum remissionem &c. ordinet. Alius iterum est *finis proximus*, alius *remotus*: prior est, qui immediate intenditur, ita tamen; ut in alium finem ulterius referatur: e. g. si quis per medicinam sumptam, sanitatem intendat: ipsam vero sanitatem intendat propter alium finem, ut expeditius possit vacare suis negotiis. In hoc casu sanitas erit finis proximus, negotia vero illa finis remotus. Denique famosissima est divisio, & huc maxime pertinens, in *finem ultimum*, & *non ultimum*, seu, intermedium. Finis *ultimus* est, ad quem omnia alia ordinantur, ipse vero ad alium non refertur. Hic autem iterum vel est *ultimus simpliciter*: quando omnia in quovis genere ad eundem referuntur: vel est *ultimus secundum quid*: quando in certo solum genere omnia ad eum referuntur. Finis *non ultimus*, est, qui, licet ratione sui appetatur, ulterius tamen ad alium ordinatur. Coincidit hic non raro cum fine proximo: v. g. dum sanitas appetitur proxime, hæcque ulterius ad melius pertractanda negotia, tanquam finem remotum ordinetur. Finis tamen remotus, non semper est ultimus; quia plures possunt dari fines intermedii, qui omnes ad ultimum referuntur: v. g. appetitur sanitas, tanquam finis proximus, ad vacandum studiis, ceu finem remotum: studia ordinantur ex fine operis, & ab operante, ad proximorum salutem: hæc ultimo ad gloriam DEI. Hæ divisiones non tantum pro hoc Tractatu, sed pene per totam Theologiam, studiose notari merentur.

5 Observandum III. Alios esse *actus hominis*, qui nimirum ab homine quacunq[ue] ratione procedunt: suntque aliquando eidem cum brutis communes: uti: comedere, dormire, ambulare &c. Alios vero *humanos*, qui nimirum homini conveniunt, quatenus homini, tanquam specie distincto a brutis, & tanquam principio rationali &c. suntque iterum in triplici differentia; Alii enim sunt actus humani, quoad substantiam tantum: uti, ridere: quod est proprietas quarto modo, admirari, item, motus voluntatis indeliberati. Alii sunt humani, tantum quoad modum: ut, dum homo comedit cum deliberata ratione: ubi comestio, quoad substantiam, est actio tantum hominis, ipsi cum brutis communis: sed quoad modum tamen, ratione deliberationis, vere humana. Alii denique sunt homini proprii, tam quoad substantiam, quam quoad modum; qui nimirum procedunt ab homine, quatenus specie distincto a bruto, & quidem cum advertentia, & deliberatione, uti est ridere, vel admirari, cum advertentia, ac deliberatione: elicere actus voluntatis &c. De actibus *humanis* omnibus, nunc recensitis, non vero *hominis*, præsens intelligenda est quæstio.

6 Observandum IV. Convenit inter omnes, ultimum actus humani finem esse beatitudinem: hæc tamen dupliciter spectari potest; I. In communi, & quasi in confuso: dum nimirum homo felix esse cupit: abstrahendo tamen ab objecto determinato, ac specifico, quod ipsum felicem, ac beatum reddere possit. II. In particulari, dum determinate quoddam objectum, tanquam suam beatitudinem, ac felicitatem, pro fine suo constituit: ut: si quis divitias, honores, vel æternam beatitudinem, tanquam ultimum desideriorum complementum, actionibus suis præfigat. Agere demum homo *propter finem* ultimum, pluribus modis potest. I. Quidem *actualiter*, seu, formaliter: dum quis expresse, ac determinate, finem ultimum intendit. II. *Habitualiter*, in quantum ex intentione finis, semel habita, & hætenus non revocata, remanet inclinatio, seu, dispositio ad finem ultimum, quæ quidem in actus omnes positive, ac directe, non influit: sub-
jecto

jecto tamen inest; ut ratione illius omnes affectus censeantur subditi. III. *Virtutualiter*, dum quis ex intentione finis, prius expresse, directe, ac explicite cogitati, operatur: etiamsi actualem operationem, hic & nunc ad eundem finem non dirigat: v. g. si pharmacopola medicamentum, pro sanitate Petri a Medico ordinatum, præparet, prioris intentionis, explicite factæ, in actuali confectione reflexe non memor: qui tamen semper in virtute primæ intentionis opus exsequitur, quæ etiam in reliquis actiones ex ipso primo fine influit. IV. Denique *interpretative*, dum quis opus exercet, quod natura sua ad finem operis tendit: etiamsi operans nec antea, nec de facto, de fine cogitaverit: cujus exemplum GONETUS ponit in eo, qui ex motivo supernaturali, exercendi actum misericordiæ, cuidam largitur eleemosynam; tunc enim, ait, licet largitor eleemosynæ non cogitet de DEO, vel beatitudine: interpretative tamen propter DEUM, ac beatitudinem, operari censetur; eoquod ipsum bonum supernaturale, honestum, quod fuerat intentum, ex natura sua referatur in DEUM. Sed, an hæc actio dici possit *humana*: vel a virtuali operatione distincta sit? merito quis dubitaverit. Hæc interim ex auctoribus retulisse sufficiat. Nunc statuitur

Resolutio. Omnis actio humana fit propter ultimum finem, in communi sumptum, saltem implicite. Com. 7

Prob. I. Ex S. AUGUSTINO, qui Lib. X. de Civit. DEI. Cap. I. ait: *omnium certe sententia est, qui ratione uti possunt: beatos esse omnes homines velle*: atqui velle beatum esse, est agere propter finem in communi, abstrahendo, in quo determinate beatitudo reposita sit: ergo &c. Idem Lib. XIII. de Trinit. Cap. III. Quod autem latenter aliud aliquis velit, ab hac voluntate (qua vult beatus esse) non recedit. Idem AUGUSTINUS Tract. de Epicur, & Stoicis, Cap. III.

» Qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse

» posse, speraret. Pone aliquem furem. Quære ex illo:

» quare furtum facit? ut habeat, quod non habebat. Qua-

» re vis habere, quod non habebas? quia miserum est, non

„ habere ; si ergo miserum est, non habere : beatum putat,
 „ habere : sed in eo imprudens est, & errat ; quia de malo
 „ vult beatus fieri. ”

8

Prob. II. Auctoritate, & ratione D. THOMÆ. I. II.

Q. I. A. VI. in Corp. ubi hanc sententiam ex instituto docet.

„ Nam quidquid homo appetit, appetit sub ratione boni :
 „ quod quidem si non appetitur, ut bonum perfectum, quod
 „ est ultimus finis, necesse est, ut appetatur, ut tendens in
 „ bonum perfectum ; quia semper inchoatio alicujus, ordi-
 „ nat ad consummationem ipsius. ”

II. „ Ultimus finis se hoc modo habet in movendo appe-
 „ titum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens.
 „ Manifestum est autem, quod causæ secundæ moventes
 „ non movent, nisi secundum quod moventur a primo mo-
 „ vente : unde secunda appetibilia non movent appetitum,
 „ nisi in ordine ad primum appetibile, quod est ultimus fi-
 „ nis. ”

III. Idem D. THOMAS hic. Q. IX. A. VI. ad 3. „ Di-
 „ cendum, quod DEUS voluntatem movet, sicut motor
 „ universalis ad universale objectum voluntatis, quod est bo-
 „ num : & quod sine hac universali motione homo non po-
 „ test aliquid velle : ” atqui hoc bonum universale est bea-
 „ titudo in communi : ergo non potest homo modo huma-
 „ no aliquid velle, nisi propter ultimum finem.

IV. Beatitudo est expletio naturalis appetitus : sed ni-
 „ hil operatur homo, nisi ut expleat naturalem appetitum :
 „ ergo propter beatitudinem omnia semper operatur.

V. Ultimus finis in communi nihil est aliud, quam bea-
 „ titudo in communi, seu, felicitas inde nata, abstrahendo, in
 „ quo illa felicitas consistat : atqui in omni actione homo vult
 „ felicitatem suam : ergo in omni actione intendit ultimum
 „ finem.

Quod vero homo non semper formaliter in quavis ope-
 „ ratione agat propter finem ultimum, sed tantum implicite,
 „ seu, virtualiter, ex eo patet ; quia etiam in actione delibera-
 „ ta

ta non semper explicite, & expresse cogitat de ultimo fine: etiamsi implicite, & virtualiter, semper beatus esse desideret.

Objic. I. Si homo, agens modo humano, semper ageret propter ultimum finem, nullus daretur actus otiosus: quod falsum est. seq. prob. actus, qui ordinatur ad finem ultimum, seu, bonum in communi, non est otiosus; cum ille solum dicatur otiosus, qui relatione ad debitum finem caret.

II. Voluntas hominis plene libera est: ergo potest nonnulla velle, sine ordine ad ultimum finem.

III. Actus gaudii, quietis, ob finem intentum: immo ipsa possessio, seu, fruitio finis, non fit propter finem: & tamen est actio humana: ergo non omnis actus est propter finem ultimum.

IV. Dum justus venialiter peccat, illud peccatum non fit propter ultimum finem; nam ultimus finis justus est DEUS: atqui ad DEUM non ordinatur, nec ordinari potest veniale peccatum. Ergo &c.

Resp. ad I. Neg. seq. prob. dist. actus, qui ordinatur ad finem ultimum, *determinatum*, non est otiosus, conc. ad ultimum finem in communi. neg. ultimus finis in communi præscindit ab honesto: & hinc non ab ultimo fine, sed ab objecto proximo honesto, vel illicito, desumitur bonitas, vel malitia specifica actus humani. Tunc ergo actus dicitur otiosus, quando nec ob piam utilitatem, nec justam necessitatem fit, consequenter ad finem proximum honestum, ac convenientem, non ordinatur: etiamsi homo ipso actu otioso implicite felicitatem in communi appetat.

Ad II. Dist. ant. Voluntas libera est, respectu finis proximi, & intermedii, qui est medium ad finem ultimum obtinendum. conc. ant. respectu finis ultimi. subdist. finis ultimi determinati. conc. indeterminati, & in communi. neg. Potest quidem voluntas intendere hoc, vel illud bonum particulare, potest item beatitudinem suam constituere vel in bono vero, nimirum DEO, ut faciunt justus, vel in bono

apparente, ac commutabili, ut faciunt peccatores: Non vero potest aliquid velle, quo sciat, se beatum, ac felicem, in communi non esse.

Ad III. Dist. Non est propter finem obtinendum. conc. propter finem obtentum. neg. etiam si finis in executione jam sit possessus: adhuc tamen manet illius bonitatis existentia objectiva, alliciens intellectum, movensque ad continuandam delectationem, seu, fruitionem circa finem. Prout docet S. THOMAS hic. Q. XXXI. A. I. ad 2. dicens: „ Licet in eo, qui jam consequutus est bonum, in quo delectatur, cesset motus executionis, quo tendit in finem: non tamen cessat motus appetitivæ partis, quæ, sicut prius desiderabat non habitum, ita postea delectatur in habito; licet enim delectatio sit quies quædam appetitus, considerata præstantia boni delectantis, quod appetitui satisficit: tamen adhuc remanet *immutatio* appetitus ab appetibili, ratione cujus delectatio motus quidam est.”

Ad IV. Dist. non fit propter ultimum finem, determinate sumtum. conc. in communi. nego. Nam etiam justus, venialiter peccans, illo actu felix esse vult. Sed de ultimo fine justis, venialiter peccantis, infra dicentur plura.

§. II.

De ultimo fine peccatoris.

20 **C**ommunis est sanctorum Patrum, ac Theologorum sententia, hominem per grave peccatum sese a DEO, ultimo, ac vero fine, summoque bono, avertere, & convertere ad creaturam, ad bonum commutabile: quo sensu explicantur illi textus Scripturæ Deuteron. XXXII. *Dereliquit DEUM factorem suum.* Isaïæ I. *væ genti peccatrici: dereliquerunt dominum, abalienati sunt retrorsum,* nimirum ad idola. Denique Jerem. II. „ Me dereliquerunt fontem aquæ viæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.” Dum igitur peccator a DEO aver-

avertitur: ultimum finem sibi in creatura constituit; cum enim nemo duobus dominis servire possit, sed necessario aut unum odio habeat, aut alterum diligat: sequitur, hominem per grave peccatum recedendo a DEO, appetiatiue plus diligere creaturam, quam DEUM: sed, quod appetiatiue super omnia diligitur, est ultimus finis, qui per se intenditur: igitur peccatoris ultimum finis est creatura. Videatur D. THOMAS Q. XXVII. de Verit. A II.

Hic jam inquiritur, quænam sit illa creatura, seu, quod-
 nam bonum commutabile, quod peccatoris finem ultimum
 constituit? ubi variæ sunt opiniones, istæ autem præcipuæ.
 SUAREZ enim cum VASQUESIO, & aliis, censet, crea-
 turam illam esse quodlibet objectum mortaliter peccamino-
 sum, propter quod præceptum DEI violat peccator: aut,
 saltem bonum inordinatum, DEO oppositum, prout ab-
 strahit ab hoc, vel illo objecto peccaminoso. Alii volunt,
 finem ultimum peccatoris esse *proprium* ejus bonum, sub ra-
 tione boni proprii. Alii, non esse aliquid determinatum,
 sed aggregatum ex omnibus bonis, ad quæ se ejus voluntas
 potest extendere. Tandem alii statuunt, finem ultimum
 peccantis esse ipsummet peccatorem, qui omnia in illo statu
 ad seipsum ordinat.

Resolutio I. Finis cui simpliciter ultimus peccatoris, est
 ipse peccator: finis autem *qui*, sive, *cujus gratia*, est bonum
 peccatoris, seu, commodum proprium: quodsi itaque finis
 ultimus sumatur in concreto: tunc ipse peccator, ut affe-
 ctus, vel afficiendus tali bono proprio, est finis actionum
 suarum. Est autem sermo de peccatore gravi.

Prob. I. Pars. Ex S. AUGUSTINO Lib. XIV. de Civit.
 DEI. Cap. XXVIII. ubi docet, quod, sicut amor DEI, usque
 ad contemptum sui, ædificat civitatem DEI: sic amor sui,
 usque ad contemptum DEI, ædificet civitatem Babylon: er-
 go eodem proportionaliter modo peccator habet rationem
 ultimi finis respectu suarum actionum, sicut DEUS habet
 rationem ultimi finis respectu actionum hominis justi: atqui
 DEUS respectu hominis justii est finis *cui* ultimus; quoniam
 in

in omnibus actionibus a justo vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter, intenditur: ergo peccator ipse respectu suarum actionum est finis *ultimus cui*.

II. Illud subiectum habet rationem finis *cui ultimi*, cuius intuitu aliquis ultimato vult, quæcunque vult: atqui peccator, quæcunque intendit, omnia vult respectu sui ipsius, in commodum proprium, quatenus naturam suam quoquo modo perficere possunt, juxta illud ad Philipp. II. *Omnes, quæ sua sunt, querunt*: quod de peccatoribus intelligendum esse, colligitur ex eodem PAULO I. Corinth. XIII. ubi ait: *charitas non querit, quæ sua sunt*. Ergo &c.

III. D. THOMAS in II. sentent. Dist. XLII. Q. II. A. I. ait: „ finis ultimus in amore commutabilium bonorum, „ est ipse homo, propter quem omnia alia querit. Et Q. „ VIII. de malo A. I. ad 19. „ Amare, est velle alicui bonum. In hoc ergo, quod homo appetit sibi quæcunque bona, videtur amare seipsum.

13 Prob. II. Pars. I. Finis ultimus *qui*, seu, cuius gratia, non est bonum particulare prohibitum, seu, objectum proximum peccati mortalis: ergo est bonum proprium peccatoris, in communi consideratum. ant. prob. finis *qui*, seu, *aijus* gratia, simpliciter ultimus, is est, ad quem actiones omnes, saltem habitualiter, ordinantur a peccatore, ut in illo quiescat, & non ulterius referat, quamdiu in illo statu perseverat: atqui ad bonum particulare v. g. voluptatem veneram, non ordinat peccator ultimato omnes suas actiones; utpote qui, etiam durante statu peccati habitualis, quasdam actiones moraliter bonas exercet. v. g. erogando eleemosynam: jejunando: aut exercendo actiones de se indifferentes, ut ludendo, bibendo, sine omni intentione luxuriæ; non enim ideo misericordiam exercet, orat, ludit &c. ut fornicetur. Ergo &c.

II. Quodlibet bonum particulare peccati mortalis ulterius ordinatur a peccatore in commodum proprium: ideo enim aliquis e. g. divitias, voluptates, honores, querit; quia illis bonis putat perfici naturam suam, & inclinationi suæ

fatisfactum iri: ergo eo ipso in bono particulari, seu, ob-
 jecto peccati proximo non sistit, nec ratione objecti appetit,
 sed sui gratia, consequenter proprium peccatoris commo-
 dum, habet rationem finis ultimi *cujus gratia*.

Prob. III. D. THOMAS Q. VIII. de malo A. I. ad I. 14
 observat: „Sicut in virtutibus consideratur duplex finis,
 „ scilicet finis ultimus, & communis, qui est felicitas: &
 „ finis proximus, qui est bonum proprium unius cujusque
 „ virtutis; ita etiam in vitiis accipi possunt fines proprii
 „ vitiorum, secundum quod sumuntur vitia capitalia: po-
 „ test etiam accipi finis ultimus, & communis, qui est pro-
 „ prium bonum; ad hoc enim ordinantur omnes fines ca-
 „ pitalium vitiorum.” Sicuti ergo objecta proxima virtu-
 tum non sunt finis, simpliciter ultimus, respectu hominis ju-
 sti: ita etiam objecta proxima vitiorum non sunt finis ulti-
 mus peccatoris.

IV. Si finis simpliciter ultimus esset quodlibet peccati
 mortalis objectum: sequeretur, peccatorem tot habere fi-
 nes ultimos, quot committit peccata, specie distincta; cum
 quodlibet eorum habeat distinctum objectum: atqui eundem
 hominem habere plures fines, simpliciter, & adæquate ulti-
 mos, contra communem est, & videtur repugnare in termi-
 nis; finis enim simpliciter, & adæquate ultimus, est ille,
 ad quem omnia in quovis genere ultimato ordinantur, ipse
 vero non aliud: ergo eo ipso non nisi unicus finis ultimus re-
 spectu ejusdem operantis esse potest.

Resolutio II. Finis peccatoris simpliciter ultimus, mate- 15
 rialis, adæquatus, *cujus gratia*, non est præcise bonum pro-
 prium inordinatum, *qua tale*: sed est bonum proprium pec-
 catoris, *quod tale*, prout se extendit ad omnia bona, tam ho-
 nesta, quam prohibita, tam naturalia, quam supernaturalia:
 connotando tamen privationem gratiæ, & charitatis, seu,
 privationem debitæ subordinationis ad finem ultimum su-
 pernaturalem.

Prob. I. Finis *qui*, seu, *cujus gratia*, simpliciter ultimus,
 materialis, & adæquatus, graviter peccantis, seu, in peccato

perseverantis, est bonum illud, ad quod tendit tota inclinatio peccatoris, & ad quod omnia alia referuntur, ipsum vero ad nullum aliud: atqui ad bonum proprium peccatoris, *quatenus* inordinatum, non tendit tota inclinatio, nec referuntur omnia: bene vero ad bonum proprium, quatenus est perfectivum naturæ, se que extendit ad omnia bona, tam honesta, quam prohibita, naturalia, & supernaturalia: ergo bonum proprium peccatoris, *quatenus* inordinatum, non est ultimus finis peccatoris. maj. constat ex terminis, & definitione finis simpliciter ultimi. min prob. peccator, etiam durante macula habituali peccati præcedentis, potest exercere varias actiones, moraliter bonas: ut, dare eleemosynam, orare, jejunare &c. immo etiam per gratiam actualem opera supernaturalia, ut fidei, spei informis &c. atqui isti actus nullo modo referuntur in proprium bonum peccatoris, *quatenus* inordinatum: ergo &c. min. iterum prob. si recensitæ actiones aliquomodo, vel habitualiter, vel virtualiter, ordinarentur ad bonum proprium peccatoris, quatenus inordinatum: tunc illud bonum proprium aliquomodo operantem moveret ad ejusmodi actus exercendos: sed hoc dici nequit; quia finis non potest movere ad actiones, fini contrarias: atqui ejusmodi actus sunt fini, *quatenus* inordinato, contrarii: hoc ipso, quod sint honesti, & ad DEUM ex natura referibiles: immo peccator quandoque ex motivo, saltem naturali, aut etiam supernaturali, simplicem concipit horrorem, ac detestationem, peccati commissi, ex motivo turpitudinis naturalis, aut pœnæ infernalis, qui est actus fugæ, ac odii, involvitque propositum, bonum inordinatum in posterum non amplius amore prosequendi: ergo actus recensiti non ordinantur ad bonum proprium, *quatenus* inordinatum.

16 Prob. II. Si finis simpliciter, & adæquate, ultimus peccatoris esset bonum proprium, *qua* inordinatum: sequeretur, omnes actiones humanas peccatoris esse peccata, formaliter talia, saltem venialia: atqui hoc videtur damnatum in BAJO, propositione XXXV. XL. in QUESNELLO,

LO, prop. XLV. & seqq. & ab ALEXANDRO VIII. 1690. prop. VII. ergo &c. Sequela maj. prob. si bonum proprium, *qua* inordinatum, est finis simpliciter ultimus, & adæquatus: tunc omnes actiones humanæ peccatoris ad eum referuntur; atqui actio humana, quæ ultimato, sive virtualiter, sive habitualiter, ad bonum proprium, *qua* inordinatum, refertur, non potest non esse mala: ergo sequela vera est. Maj. certa videtur, & etiam min. Ut enim actio honesta sit, debet aliquo saltem modo ad finem ultimum honestum referri. Immo ex sententia adversa sequeretur, omnem actionem humanam peccatoris esse mortaliter peccaminosam; nam illa actio humana est mortaliter peccaminosa, per quam homo totaliter avertitur a DEO, & ultimato sistit in bono creato, *quatenus* inordinato; hoc enim casu appetitive plus diligitur creatura, quam DEUS: atqui si finis simpliciter ultimus peccatoris est bonum inordinatum, *qua* tale, tunc peccator qualibet actione humana totaliter avertitur a DEO, & convertitur ad creaturam, in qua ultimo quiescit. ergo &c. sicuti enim, ex dicendis, peccatum veniale hominis justi ideo veniale est, & non mortale; quia adhuc habitualiter ordinatur in DEUM, quatenus refertur ad hominem, qui est habitualiter conversus ad DEUM: ita a contrario nulla actio peccatoris, in gravi peccato constituti, erit venialis, sed lethalis; quia nunquam habitualiter potest referri in DEUM: si finis ultimus peccatoris, est bonum proprium, *qua* inordinatum.

Objic. I. contra I. Resolut. Plures sunt actus, quos peccator ad se ipsum non ordinat: ergo peccator non est finis cui. Ant. prob. peccator quandoque amore amicitiae amat sibi familiarem: atqui amor amicitiae non tendit in bonum proprium, sed in bonum amati: sicut econtra amor concupiscentiae non tendit in bonum amati, sed proprium amantis: ergo aliquis actus peccatoris non ordinatur ad ipsummet.

II. Peccator non raro elicit actum virtutis: v. g. temperantiae, justitiae, misericordiae: atqui actus istos non

exercet ex amore sui, sed ex amore, & honestate virtutis: ergo hi actus non ordinantur ad peccatorem.

III. Actus spei Theologicæ, a peccatore elicitus, non ordinatur ad ipsum peccatorem, sed ad DEUM, qui solus objectum est virtutis Theologicæ; si enim ultimato actus ille spei referatur ad peccatorem: tunc malus, & eo ipso actus virtutis Theologicæ non erit.

R. ad I. Neg. Ant. ad prob. dist. min. loquendo de amore politico: amor amicitiae tendit in bonum amati, proxime, & immediate: conc. ultimo. nego. In hoc distinguitur amor amicitiae, ab amore concupiscentiae; quod hic proxime intendat lucrum, ex amore reportandum: ille vero non lucri gratia immediate, sed proxime ipsum bonum amati intendat: etiamsi hic ipse amor amicitiae, cum sit magnum amantis bonum, ultimato in ipsum amantem referatur. Sic enim ait D. THOMAS lect. V. explicans Aristotelem IX. Ethic. cap. V. " Illi, qui amant amicum, amant id, quod est bonum sibi ipsis; nam quando ille, qui est bonus in se, est factus amicus alicujus, fit etiam bonum amico suo: & sic uterque, dum amat amicum, amat, quod sibi bonum est: addam ego: & ultimo; quia amare amicum, bonum, ac beatum est amanti.

R. ad II. dist. min. Non exercet ex amore sui, tanquam fine proximo, & immediato. conc. tanquam fine ultimo. neg. min. Peccator, v. g. erogando eleemosynam, proxime, & immediate intendit objectum virtutis misericordiae, quod est sublevatio alienae miseriae: sed hoc ipsum objectum ultimo ad se ordinat; quia putat, naturam suam, seu, bonum proprium, quodam modo hoc actu virtutis perfici.

Ad III. Dist. Actus spei, a peccatore elicitus, non ordinatur ad se ipsum, proxime, & immediate. conc. ultimo. neg. Virtus Theologica pro objecto, & fine proximo, immediate specificativo, habet DEUM: sed ipse actus virtutis potest iterum ad alium finem ulteriorem referri: uti spes formata ab homine justo refertur ulterius in ipsum DEUM: spes autem informis a peccatore ad se, seu, bonum suum

suum proprium, quatenus tamen præscindit ab honesto, vel inhonesto, naturali, vel supernaturali, ordinatur; in quantum nimirum peccator judicat, hoc actu spei naturam, bonumque suum proprium, perfici.

Objic. contra eandem. Ille est finis *ultimus qui* peccatoris, qui facit; ut peccator a DEO averfus, ad aliud objectum convertatur, in eoque rationem ultimi finis, a DEO in affectu ablatam, constituat: atqui quodlibet objectum peccati lethalis id efficit, ut peccator, a DEO averfus, ad illam creaturam convertatur: v. g. fur ad pecuniam: ergo quodlibet objectum particulare peccati est finis ultimus peccatoris. Maj. confirmatur: qui statuum Jovis, vel, Jovem pro DEO colit, committendo idololatriam, in Jove ultimum finem ponit, quem relicto DEO vero pro suo Numine adoratur: ergo a pari: quoad objectum alterius peccati. 13

II. Ultimus finis peccatoris est, quod ille plus appetitive diligit, quam DEUM: atqui peccator quodlibet objectum particulare peccati gravis plus diligit, quam DEUM: ergo &c. Maj. & min. constant ex D. THOMA Q. XXVIII. de veritate A. II. ubi sic docet: „ Quicumque rem aliquam „ digniorem indigniori postponit, injuriam ei facit, & tan- „ to amplius, quanto res est dignior. Quicumque autem „ in re temporali finem sibi constituit, quod facit omnis „ mortaliter peccans, ex hoc ipso, quantum ad affectum „ suum, præponit creaturam creatori, diligens plus crea- „ turam, quam creatorem; finis enim est, quod maxime „ diligitur.

Resp. ad I. Dist. maj. ille est finis ultimus, materialis, inadæquatus, & secundum quid, in quo tamen ultimato non sistitur. Conc. maj. finis adæquatus, & simpliciter ultimus, qui ulterius non referatur. neg. maj. Non enim in pecunia ultimato sistit fur, & ad eam omnia alia ordinat, sed ipsam pecuniam aufert; quia bono suo proprio oportunitatem judicat, sicque pecuniam, tanquam finem proximum, ad se ipsum, suumque bonum proprium, ultimato refert. Ad patritiam de idololatra, dico, Jovem, seu idolum, tan-

tum esse finem proximum, & non simpliciter ultimum; ultimato enim idololatra bonum suum proprium intendit, quatenus judicat, melius sibi esse, si Jovem, quam alium DEUM colat; quia hoc cultu vel bonum aliquod obtinere sperat, vel amittere timet, si cultum omitteret: vel etiam, quia relicto DEI veri cultu potest ex suo arbitrio vivere, genio indulgere: & ita loquendum de aliis objectis particularibus vitiorum.

Ad II. Dist. maj. quod plus appetitive diligit, quam DEUM, & hoc ultimato, ut in eo sistat, nec ulterius referat: conc. maj. fecus. neg. maj. quamvis enim peccator creaturam, quæ est objectum peccati, & finis proximus, plus æstimet, quam DEUM: non tamen in objecto illo sistit: sed ideo objectum illud præ DEO eligit; quia illud bono suo proprio magis deservire, erronee arbitratur: consequenter ad bonum proprium ulterius, & ultimato ordinat. Et ita intelligendus est D. THOMAS; loquitur enim de fine proximo, vel ultimo, solum inadæquato, & secundum quid.

19 Objic. contra II. Resolut. I. bonum proprium, quatenus præscindit ab honesto, & inhonesto, est potius finis ultimus in communi, in quo tam justus, quam peccator, conveniant: atqui hoc est contra statum quæstionis; quæritur enim hic præcipue, quis sit finis peccatoris, contra distinctus a fine hominis justis? ergo &c. Maj. prob. bonum proprium, & satiativum appetitus, est etiam commune homini justo: consequenter, nisi superaddatur bonum determinatum, vel spectetur, quatenus est bonum deordinatum, erit finis in communi, & non finis determinatus peccatoris.

II. Finis ultimus peccatoris debet esse oppositus fini supernaturali, & bono divino, ut nullo modo in hoc referri possit; si enim in bonum supernaturale, ac divinum, referri posset, eo ipso non esset finis simpliciter ultimus: atqui bonum, a nobis assignatum, quatenus præscindit ab honesto, & inhonesto, naturali, & supernaturali, non est oppo-

oppositum bono divino, ac supernaturali, possetque ad DEUM referri: ergo &c.

Resp. ad I. Neg. maj. Nam finis ultimus in communi, dicit præcise bonum commune, ut sic, præscindendo a subjecto particulari, cui est bonum: econtra bonum proprium, quod appetit peccator pro fine ultimo, aliquid super addit; quia peccator illud appetit, ut sibi bonum: consequenter ratio boni proprii constituit rationem *finis cui*, quæ specialiter determinat bonum commune ad esse finis determinati pro peccatore. Ad prob. maj. neg. ant. Finis enim, in concreto sumptus, hominis peccatoris, est ipse peccator, sua propria bonitate affectus, qui, quidquid appetit, etiam si in DEUM tendere videatur, sibi tamen ipsi appetit, sub ratione boni proprii: econtra finis hominis justus est DEUS, ut affectus sua summa bonitate; quia, quidquid justus appetit, ultimato, saltem habitualiter, in ipsum DEUM refert, ad quem habitualiter conversus est, & a quo nulla ratione vult simpliciter averti. Paucis: differentia est; quia finis *cui* peccatoris, est ipse ipse peccator, qui ad se in concreto omnia refert, tanquam ad finem ultimum: contra *finis cui* hominis justus, non est ipse, sed DEUS, ad quem, habitualiter saltem, omnia ordinat: de quo §. seq.

Ad II. dist. maj. Finis ultimus peccatoris debet esse oppositus bono divino, & supernaturali, directe, & *quidditative*, ita; ut DEUM prorsus excludat, & ad eum nullo modo referri possit: neg. maj. secus enim sequeretur, omnes actiones peccatoris esse peccaminosas. Debet esse oppositus DEO &c. tantum propter connotationem privationis gratiæ, & sic indirecte. Conc. maj. Plura objecta peccator appetit, quæ directe, & secundum se, non sunt opposita DEO, vel bono honesto: ut, dum virtutes morales exercet, quæ per se ad DEUM referri possunt: sed tamen opponuntur indirecte; quia quilibet actus peccatoris, in habitu constituti, indirecte, & in obliquo, connotat privationem gratiæ, & charitatis, sine cujus imperio actus, etiam de se bonus ex objecto, in DEUM referri non potest; & ideo in resolutione

dictum est: bonum proprium peccatoris, *quatenus connotat prædictam privationem &c.* esse finem ultimum ipsius. Dist. etiam min. bonum proprium, præscindens ab honesto, & inhonesto &c. non est oppositum: directe, ratione sui. conc. min. indirecte, quatenus denotat privationem gratiæ, & charitatis in peccante. Neg. min. Etiam si enim v. g. eleemosyna per se, & in genere, referri possit ad DEUM, & finem honestum: non refertur tamen determinate a peccatore ad DEUM, vel finem honestum, propter prædictam connotationem privationis gratiæ: Sed refertur ab eodem ad bonum suum proprium, præscindendo tamen ab honesto, & inhonesto. Et hæc est etiam ratio, quod non omnes actiones peccatoris sint peccaminosæ; quamvis enim sistant in bono proprio, & ad finem supernaturalem non ordinentur, propter privationem charitatis: non sistunt tamen in bono proprio privative, & excludendo DEUM; sed tantum præscindunt: & sic neque ad DEUM tendunt positive, nec privative ab eo divertunt.

20 Urgent contra datam Respons. Hæc explicatio non videtur satis cohærere cum modo loquendi SS. Patrum; dicunt enim, peccatorem a DEO averti, finemque suum ultimum constituere in creatura, ac bono commutabili: ergo eo ipso volunt, finem ultimum peccatoris non esse bonum proprium, præscindens ab honesto, & in honesto &c. sed quatenus deordinatum.

II. Amor sui, qui est causa peccatorum, non est qualiscunque amor boni proprii, sed amor inordinatus; nam, ut AUGUSTINUS ait, amor sui usque ad contemptum DEI ædificat civitatem Babylonis: ergo bonum proprium, qua inordinatum, est ultimus finis peccatoris.

Resp. ad I. neg. ant. Ut enim peccator dicatur constituere finem in creatura, sufficit, quod ipse peccator sit finis *cui*: etiam si finis *qui*, seu, cujus gratia, id est, bonum privatum, abstrahat, & præscindat, a bono creato, vel increato, honesto, vel inhonesto, naturali, vel supernaturali; hoc ipso enim, quod peccator non diligit bonum appetitum

tum, nisi sub ratione boni proprii, eo ipso constituit finem in bono creaturæ: quod tamen adhuc indifferens est, ad esse honestum, vel inhonestum &c. dein, cum loquuntur Patres de conversione peccatoris ad creaturam, non loquuntur semper de fine simpliciter ultimo, sed proximo, aut secundum quid. Denique, etiamsi Patres dicant, finem ultimum peccatoris determinate esse aliquid creatum: non tamen dicunt, quod sit bonum *inordinatum*, & contrarium DEO: quia amor sui, secundum se, adhuc indifferens est, potestque esse honestus, vel malus, vel ab utroque, in genere saltem, præscindere.

Resp. ad II. Dist. Ant. Amor sui, qui est causa proxima peccatorum, est amor inordinatus: conc. ant. amor sui, id est, boni proprii secundum se, est amor inordinatus, & causa peccatorum. neg. ant. ille enim amor sui inordinatus, & peccaminosus est, qui determinate, directe, & proxime, tendit in objectum contrarium DEO: uti contingit in peccato mortali determinato. Econtra amor sui in genere adhuc præscindit ab objecto honesto, vel inhonesto, & non per se contrarius est DEO; amat enim peccator ultimato bonum proprium: non *quatenus* est inordinatum, & DEO contrarium, sed *quod* proprium est: sub qua ratione adhuc est indifferens, & per se saltem, referibile ad bonum honestum.

§. III.

De ultimo fine hominis justii, peccantis venialiter.

Observandum, finem ultimum a nonnullis Auctoribus bifariam dividi: unum dicunt *positive*, alterum *negative* ultimum: priorem dicunt, illum, qui ratione sui appetitur, & omnia propter ipsum, & ad alium non refertur, sed ad ipsum omnia: finem *negative* ultimum dicunt eum, qui quidem ratione sui appetitur, & ad alium non ordinatur: etsi non omnia cætera propter ipsum appetantur. Quamvis vero Thomistæ hanc distinctionem non admittant, sed finem

simpliciter ultimum dicant eum, qui non tantum ratione sui appetitur, sed & omnia propter ipsum; ita, ut omnia alia ad ipsum referri debeant: Distinctio tamen hæc ad intelligendos nonnullos Auctores contrarios observari mere-
tur.

22. Observandum ulterius, & pro certo supponendum, ultimum finem hominis justii, positive acceptum, esse DEUM, in se ipso spectatum, appetitive super omnia dilectum, ad quem ultimato actus omnes, a charitate imperati, ordinantur: sed quoniam etiam justus sæpius cadit in peccata venialia, quæ quidem sunt offensa DEI secundum quid, consistere autem adhuc possunt cum gratia sanctificante, nec tollunt ordinem habitualement ad DEUM: hinc indagandum est, quisnam sit finis ultimus hominis justii quoad peccatum veniale, quod, utpote ab intrinseco malum, a charitate imperari, sicque, ut videtur, in DEUM referri non potest. Quare pro hoc expediendo dubio sit

23. *Resolutio. I.* Objectum inordinatum peccati venialis non est finis ultimus, nec positive, nec negative, justii venialiter peccantis. Com. Thomist.

Prob. I. D. THOMAS I. II. Q. LXXXVIII. A. I. ad 3. ait: Ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens, sed ut utens: atqui fine ultimo quis fruatur, & non utitur: ergo bonum temporale non est finis ultimus justii, peccantis venialiter.

II. Objectum illud inordinatum, v. g. mendacium leve, non amatur a justio, ut bonum perfectum, & plene satiativum: nec diligitur appetitive super omnia, nec ad ipsum omnia, quæ appetuntur, ordinantur: ergo non est finis ultimus.

III. Justus, peccans venialiter, objectum peccati sui ordinat ad ulteriorem finem, nimirum ad bonum proprium sui ipsius: ergo illud non est finis ultimus, sive negative, sive positive. Ant constat ex §. præcedente; nam neque peccator gravis sistit ultimato in objecto peccati, sed ordinat illud ad bonum proprium: ergo neque justus.

IV. In eo juxta D. THOMAM, & Theologos communiter, differt peccatum veniale a mortali; quia hoc ponit inordinationem circa ultimum finem: veniale autem circa ea, quæ sunt ad finem, servato ordine finis: ergo eo ipso objectum peccati venialis non est finis ultimus; maxime, cum iustus, venialiter peccans, adhuc sit habitualiter ad DEUM conversus: quam conversionem non tollit peccatum veniale: etsi fervorem charitatis minuat.

Resolutio II. Bonum proprium non est finis, simpliciter ultimus, iusti peccantis venialiter: sed solum DEUS, ut est in se ipso: ad quem peccatum veniale, non quidem actualiter, sed habitualiter, refertur. Comm. Thomist. 24

Prob. I. S. THOMAS secunda secundæ, Q. XXIV. A. X. ad 2. ait: Quod amatur in peccato veniali (nimirum ab homine iusto) propter DEUM amatur habitu, etsi non actu. Et in I. Sentent. Dist. I. Q. III. ad 4. Quamvis ille, qui peccat venialiter, non referat actu in DEUM suam operationem, nihilominus tamen DEUM habitualiter pro fine habet: unde non ponit creaturam finem ultimum.

Prob. II. Illud non est finis ultimus, in quo appetitus non sistit, & quod ad finem ulteriorem ordinatur: atqui bonum proprium iusti, non est illud, quod satiet ipsum, in quo sistat: sed illud potius ad DEUM habitualiter ordinat: ergo &c.

Prob. III. Iustus habitualiter dispositus est, ratione habitus charitatis, ad referendum omnes actus in DEUM, vel exercendo illos ex imperio charitatis, sicque actualiter, vel virtualiter, referendo ad DEUM: vel ad omittendum illos, si charitas postulaverit; potius enim omnia facere, vel amittere, paratus est, quam charitatem dimittere: ergo etiam veniale peccatum a iusto habitualiter ad DEUM refertur. Quod autem actualiter in DEUM non referatur peccatum veniale, facile constat; nam illa relatio actualis deberet fieri per imperium charitatis actuale: sed hoc fieri nequit; nihil enim potest charitas imperare, quod non habeat aliquam bonitatem: cum ad DEUM, summe bonum,

nihil non bonum referri possit : atqui nulla est bonitas moralis in peccato veniali. Ergo &c. Denique, si peccatum veniale actu posset ordinari in DEUM : tunc DEUS, ut finis ultimus actualiter intentus, in peccatum veniale, sic relatum, refunderet quamdam honestatem moralem, pertinentem ad virtutem charitatis Theologicæ : consequenter, & ratio meriti tribueretur peccato veniali : quæ absurda sunt.

25 *Resolutio III.* Peccatum veniale actualiter ordinatur in bonum proprium ipsius peccantis, tanquam in finem ultimum secundum quid.

Prob. Quilibet actus humanus debet actualiter referri ad aliquem finem, ultra quem non transeat, saltem actualiter; non enim datur in finibus processus in infinitum : atqui alius finis ultimus secundum quid, in quem peccatum veniale a iusto actu referatur, assignari nequit, præter bonum proprium ipsius peccantis : ergo &c. Itaque bonum proprium est finis ultimus actualis, saltem negative, & secundum quid, peccati venialis; si enim esset finis positive, & simpliciter ultimus : tunc nulla restaret amplius via, qua veniale peccatum in finem aliquem ultimum superiorem posset referri : atqui in nostra explicatione superest finis alius ulterior, nimirum DEUS, ad quem habitualiter per principium gratiæ, & charitatis, in iusto venialiter peccante, perseverantis, ipsum peccatum veniale refertur.

26 Sed tamen difficultas superesse videtur in explicanda hac habituali relatione peccati venialis ad DEUM. Et aliqui quidem, cum CAJETANO, dicunt, illud in tantum referri in DEUM habitualiter; quia non destruit habitum charitatis, qui ex natura sua efficax est, ut omnia referat in DEUM, etiam peccatum veniale, si referibile esset : unde, quod de facto non referat, non est ex defectu charitatis, sed ex incapacitate ipsius peccati. Nonnulli existimant, hanc relationem habitualement in eo consistere; quod peccans venialiter actum illum ordinet proxime quidem ad se, & bonum proprium : sed quia ipse pec-

peccans ratione gratiæ, & charitatis, adhuc est habitualiter ad DEUM conversus: hinc etiam peccatum veniale ultimo habitualiter refertur ad DEUM. Denique alii hac ratione explicant, quod, cum iustus per charitatem DEUM absolute diligat super omnia appetitive: hinc per ipsam charitatem subjiciat illi omnia, quæcunque operatur, sive bonum, sive malum: diverso tamen modo; actus enim bonos subjicit directe; quia per imperium charitatis positive exercentur propter DEUM: actus autem venialiter peccaminosos tantum indirecte; quia potest impedire, ne fiant, & de facto impediret, si charitati adversarentur, & divinam amicitiam tollerent. Iustus enim, ut dictum num. 24. ita habitualiter dispositus est; ut paratus sit, omnia potius facere, propter DEUM, vel omittere: quam permittere charitatis dissolutionem.

Objic. I. Qui peccat venialiter, non utitur creatura, sed fruitur: atqui frui creatura, est in ea collocare rationem ultimi finis: ergo finis ultimus peccantis est creatura. maj. prob. ex AUGUSTINO. Qui Lib. LXXXIII. quæst. 30. ait, omnem humanam perversitatem in eo consistere; quod homo velit uti fruendis, nimirum DEO, & frui utendis, seu, creatura. Ergo &c.

II. Inter usum, & fruitionem, non datur medium: atqui peccans venialiter, non utitur creaturis: ergo fruitur.

III. S. AUGUSTINUS Lib. I. de Doct. Christ. Cap. III. „ Si eis, quibus utendum est, frui voluerimus: impeditur cursus noster, aliquando etiam desectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum est, obtinendis, vel retardemur, vel etiam revocemur. ” Ergo datur duplex fruitio: una, qua a summo bono desectitur: altera, qua peccator saltem retardatur: atqui fruitio, solum retardans, est in peccato veniali: prior autem in mortali: ergo etiam per veniale peccator fruitur creatura.

IV. Iustus, venialiter peccans, objectum sui peccati, seu, creaturam, non amat propter DEUM: secus DEUS moveret ad illud, & aliquo modo influeret in amorem peccati:

cati: ergo amat propter se: consequenter creatura est finis ultimus, saltem negative.

Resp. ad I. Neg. maj. Nam D. THOMAS expresse ait Q. VII. de malo A. I. ad 4. qui venialiter peccat, non fruitor creatura, sed utitur: ad prob. dico S. AUGUSTINUM loqui de perversitate, quæ est perfectum malum culpæ mortalis, non vero de quocunque peccato, etiam veniali; solum enim mortale pervertit ordinem charitatis: non autem veniale.

Resp. ad II. Neg. maj. Medium est enim abusus, seu, usus illicitus, & inordinatus. Peccans venialiter abutitur quidem creatura actualiter, utitur vero illa adhuc habitualiter, modo prædicto. Audiatur S. BONAVENTURA in II. Sent. Dist. XLII. A. II. Q. VI. „ Ad illud, quod obicitur, quod amor venialis peccati est amor fruitionis: „ dicendum, quod falsum est, secundum quod frui accipitur proprie, videlicet quiescere in aliquo, tanquam in „ fine ultimo; sic enim frui est per mortale, non per veniale. Si ergo quæras, utrum sit usus, vel fruitio? Dicendum, quod neque est usus, neque fruitio, sed abusus. Nisi forte usus dicatur large omnis amor, quo quis „ amat aliquid, non quiescens in illo, sed refert ad aliud „ actu, vel habitu: sive referatur recte, sive minus recte. „ Et quod illud oporteat dicere, manifestum est; cum enim „ aliquis diligit creaturam, referens ad aliud, non tamen „ ad illud, ad quod debet: amore illo peccat, nec tamen „ est fruitio, vel usus proprie dictus: sed magis proprie „ debet dici abusus. Unde AUGUSTINUS cum dicit, „ omnis, qui amat aliquid, aut amat utens, aut fruens, „ accipit large usum, aut fruitionem: usum pro omni amore „ relato, sive directe vel indirecte: fruitionem pro amore „ non relato.”

Ad III. Dico, duplicem dari aversionem a summo bono, utramque per peccatum mortale, de quo intelligendus est S. AUGUSTINUS; Nam aliquando per peccatum finaliter a DEO avertitur peccator, reprobatus, si in peccato perse-

feveret, moriatur, nec unquam per poenitentiam ad DEUM revertatur. Et hæc est totalis revocatio. Aliquando peccator per grave delictum avertitur quidem a DEO, non tamen finaliter, sed per veram poenitentiam ad pristinam viam mandatorum regreditur: & hæc aversio potest dici retardatio; quia ultimato, & finaliter, peccator iterum cum DEO reconciliatur: etiamsi intermedio vitæ cursu a DEO aberraverit.

Ad IV. Dist. Non amatur propter DEUM, actualiter, & directe, ac positive. conc. non amatur habitualiter propter DEUM. neg. sic enim loquitur D. THOMAS num. 24. hoc nimirum sensu, quod peccator in suo peccato non sistat, sed illud habitualiter referat ad ultimum finem, DEUM; quia paratus est, illud potius omittere, si ultimo fini, DEO suo, ita foret contrarium, ut una cum perfecta charitate habituali non posset consistere, & divinam cum hoc amicitiam penitus e medio tolleret.

C A P U T II.

De vero fine hominis, seu, beatitudine, tam objectiva, quam formali.

CONSTAT ex dictis, ultimum actus humani finem esse bonum ut sic, seu, beatitudinem in communi, & ad hanc omnes actiones humanas in communi referri: nunc inquirendum, in quonam bono illa beatitudo consistat? Est autem beatitudo, ex definitione BOETII, communiter recepta, status, omnium bonorum aggregatione perfectus, & humani appetitus perfecte satiativus. Beatitudo alia est objectiva, alia formalis. *Objectiva*, est res ipsa, seu, bonum illud, explens, & satians desiderium. *Formalis* vero, ipsa operatio, qua summo cum voluptatis, gaudiique, sensu objectum desideratum possidetur. Alia est *naturalis*, quæ com-

competit naturæ hominis, secundum se sumptæ, propriis-
que viribus obtineri posset. Alia *supernaturalis*, quæ naturæ
vires excedit, & in bonis supernaturalibus consistit. Bea-
tudo alia iterum est, *vix*, alia, *Patriæ*: illa, cujus capax
est homo mortalis in vita præsentis: beatudo Patriæ, qua
homo fruitur post obitum; & hæc iterum duplex: *completa*,
qua non anima tantum, sed & corpus, seu, totus homo,
post ultimum iudicium perfunditur: & *incompleta*, qua ante
resurrectionem gaudet solum anima. Alia iterum est *essen-
tialis*, quæ circa primarium beatitudinis objectum versatur:
alia *accidentalis*, quæ circa objecta inferiora, v. g. humanita-
tem Christi, creaturas extra verbum: &c. hoc itaque capi-
te inquirimus, quænam sit vera hominis elevati beatudo
objectiva, tam in præsentis, quam in altero statu? in quo
consistat beatudo formalis? quæ sint beatitudinis comple-
tæ proprietates? quæ sint dotes animæ beatæ, ac corporis,
post resurrectionem gloriosi? Denique pauca dicentur de
Aureolis.

§. I.

De vera beatitudine objectiva hominis elevati.

29 **E**T si nemo unus hominum hætenus existit, qui non
beatus esse concupierit: in eo tamen errarunt veterum
plurimi; quod non in veris, sed apparentibus bonis, quæ-
que animam complete non satiant, beatitudinem suam collo-
caverint. Sunt autem bona in triplici classe: alia dicuntur
bona fortunæ: uti divitiæ, honores &c. alia bona corporis:
uti pulcritudo, robur, voluptates &c. alia bona animæ: uti
scientiæ, virtutes &c. Sermo est hic præcipue de beatitudi-
næ Patriæ; nam de inchoativa beatitudine *vix*, commodius
agetur postea: sit itaque

30 *Resolutio* Nullum bonum creatum, sed solus DEUS, ut
est in se, intuitive visus, est vera hominis beatudo obje-
ctiva, & ultimus finis.

Prob. I.

Prob. I. Beatitudo objectiva est status, omnium bonorum aggregatione perfectus, debetque plenissime satiari hominis appetitum: At nullum bonum creatum, sed solus DEUS, plenissime satiari, & appetitum explere potest: ergo &c. min. prob. ut hominis appetitus plenissime satiatur, debet tam intellectus, cognoscendo omne verum, quam voluntas, fruendo omni bono, perfecte expleri: atqui solus DEUS, qui est universale verum, & universale bonum, potest sic animæ facultates explere; cum quodlibet verum, vel bonum creatum, sit tantum participatio quædam summæ illius, ac universalis veritatis, & bonitatis: ergo &c.

II. Hominis beatitudo neque consistit in bonis creatis fortunæ, corporis, vel animæ, neque in omnibus simul: ergo nequaquam in bono creato, sed in solo DEO. Ant. prob. Non in bonis fortunæ; nam de ratione veræ beatitudinis est, ut plene satiet, sit stabilis, dicatque possessionem: at hoc non præstant bona fortunæ; nam quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ divitiarum: & licet aliquis omnes totius universi divitias possideret, adhuc appeteret alia bona, præcipue corporis: post hæc, alia, & iterum alia &c. Neque etiam bona fortunæ constantia sunt; amittuntur enim facile per raptores, aliosque vitæ hujus casus innumeros: nec etiam possessionem dicunt; nam divitiæ, non qua possessæ, sed qua effusæ, bonæ sunt, & aliquo modo beatum faciunt. ant. prob. II. Non in bonis corporis; hæc enim sunt communia etiam brutis, & non raro perfectiori longe modo ab illis possidentur. Insuper hæc dona neque satiant perfecte, neque omnem miseriam excludunt. Non satiant; quia in homine pulcro, & sano, adhuc remanet appetitus divitiarum, honorum, scientiarum, virtutum &c. quibus si careat, miserum se ipsum judicabit, & etiam erit. Ipsæ etiam voluptates corporis multis amaritudinibus respersæ sunt, & bestiis quoque communes: hominis autem beatitudo, non tantum supra bruta, sed supra ipsum hominem, elevata esse debet. Ant. prob. III. Neque in bonis animæ; nam neque virtutes, neque scientiæ, miseriam omnem ex-

cludunt: immo, ut ait Ecclesiast. I. *in multa sapientia, multa est indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.* Virtutum studium, quam arduum sit, quantis tentationibus obnoxium: nemo, nisi virtutis ignarus, ignorat. Ant. prob. IV. Non in omnibus simul; quia etiam singula conjuncta, non omnem excludunt miseriam, nec plene fatiant, sed semper relinquunt majoris, ac æterni boni desiderium, nempe DEUM, summum bonum, ut est in se, videndi.

31 Quærent hic Scholastici: an, si per impossibile DEUS videretur a beato, tantum ut unus, sine personis, sufficiens esset beatitudinis supernaturalis objectum? Cum hæc quæstio, si ulla alia in tota Theologia, prorsus inutilis sit: eidem immorari nolo; de fide enim est, DEUM de facto videri, ut est in se, neque unquam aliter videri: prout docet Joan. Epist. I. Cap. III. 2. *videbimus eum, sicuti est:* atqui in se, non tantum unus, sed etiam trinus, omnibusque perfectionibus essentialiter præditus est: ergo sic etiam videtur. Accedit ratio clara; beatitudo perfecta, & completa, debet perfecte satiari animam: at, nisi videret intellectus DEUM, ut trinum, non satiaretur; desideraret enim, & hanc Trinitatem cognoscere; eo ipso, quod visio tendat in objectum, ut est in se. Cui speculationes istæ placent, abunde apud Scholasticos saturari poterit.

32 Objic. I. Creatura finita, uti est homo, expleri potest bono finito: sed, quod explet hominis appetitum, est illius beatitudo: ergo bonum finitum, seu, creatum, potest esse hominis beatitudo.

II. Creatura rationalis non potest appetere beatitudinem, quæ ipsius facultati non est proportionata: atqui DEUS, utpote infinitus, non est proportionatus hominis facultati finitæ: ergo homo DEUM, ut beatitudinem, non appetit: consequenter aliquod bonum creatum.

Resp. ad I. Dist. maj. Creatura, tam extrinsece, quam intrinsece finita: conc. finita solum intrinsece. neg. maj. Homo quoad entitatem suam, atque adeo intrinsece, finitus est: versatur autem circa objectum infinitum; quia in primis nul-

nullum bonum particulare ipsum satiare potest : consequenter in infinitum semper plura appeteret ; infinita autem bona creata , non dantur ; consequenter appetit illud bonum essentialiale , quod bona omnia includit , sicque infinitum est.

Ad II. Dist. maj. Quæ ipsi non est proportionata , neque in ratione entitatis , neque in ratione habitudinis. conc. maj. quæ non quidem in entitate , attamen in habitudine proportionata est , &c. neg. maj. nulla quidem inter entitatem DEI , & hominis , est proportio : sed tamen quoad habitudinem ; nam intellectus hominis se habet ad omne verum , voluntas ad omne bonum ; cum ergo summum verum , & summum bonum , sit DEUS : hinc hominis intellectui , & voluntati , omnino proportionatus est : maxime etiam ; quia , ut DEUS sit infinitum verum , & bonum : modo tamen solum finito ab homine apprehenditur. Videantur dicta de visione intuitiva , in Tract. de DEO uno.

§. II.

In quo consistat beatitudo formalis ?

Beatitudo formalis , est ipsa boni summi possessio. Cum igitur objectum beatitudinis sit DEUS , ut est in se : formalis beatitudo , erit ipsa DEI possessio. At inquiritur , quomodo DEUS possideatur : an per actionem DEI increatam , animæ beati unitam ? uti videbatur HUGONI a S. Victore : an per illapsum quemdam specialem DEI in animæ essentiam , quo anima substantialiter sanctificetur , & quasi in DEUM transformetur : eo fere modo , quo ignis penetrat ferrum candens , & quasi igneum efficit ? uti docuit HENRICUS Gandavensis. An denique in operatione ipsius animæ ? ut communis jam est Theologorum ; qui tamen adhuc litigant : in quali animæ operatione beatitudo formalis Patriæ consistat ? Thomistæ contendunt , eam essentialiter in sola visione intuitiva : Scotistæ , in solo actu amoris :

alii, in utroque, & simul in gaudio, inde resultante, constitutam esse. Et certum quidem est, quod de facto omnia tria concurrant, tantumque disceptatur: quisnam horum actuum essentialis sit?

- 34 Dari autem, pro præsentis statû viæ, quamdam beatitudinem, non quidem perfectam, ac consummatam, sed inchoatam: ex eo colligitur; quia S. Scriptura nonnullos adhuc viatores, beatos pronuntiat: sic dicitur, *beatus vir, qui post aurum non abiit: qui non abiit in consilio impiorum: qui timet Dominum: beati a Christo dicuntur, pauperes spiritu: mundi corde &c.* Et ratio est; quia in vita præsentis DEUS, saltem imperfecte, possideri potest; *qui enim manet in charitate, in DEO manet: & DEUS in eo.* I. Joannis IV. *& misit DEUS spiritum Filii sui in corda nostra.* Gal. IV. 6. *fructus autem spiritus est gaudium, pax &c.* Gal. V. 22. & quidem *pax, quæ exsuperat omnem sensum: Philipp. IV. 7.* atqui imperfecta possessio DEI, est saltem imperfecta beatitudo: ergo &c. Quod vero perfecta in hac via haberi nequeat, denuo certum est; nam perfecta beatitudo, habet rationem termini, quem viator, quamdiu talis est, nondum attingit: Et, quoniam vita præsens, est militia, sive, tentatio, variis subiecta mutationibus, infirmitatibus, &c. quæ in beatitudine perfecta exulare debent. Videndum igitur, in quibus nam bonis beatitudo inchoata viæ consistat? Et in bonis creatis eam non consistere, ex dictis constat; quoniam beatitudo viæ, est inchoatio beatitudinis Patriæ, quæ in bonis creatis non potest consistere. Certum iterum est, beatitudinem viæ formalem, esse aliquam operationem animæ: sed quænam illa? an actus virtutum moralium? an contemplatio DEI? an actus scientiæ acquisitiæ? vel dona S. Spiritus? aut actus charitatis?

- 35 *Resolutio I.* Beatitudo formalis non consistit in actione increata DEI: neque in illapsu DEI in essentiam animæ, vel ejus potentias: sed in perfectissima operatione animæ beatæ.
 Prob. I. Pars. Beatitudo formalis, est possessio vitalis, quæ beatum intrinsece perficit: atqui actio increata DEI, non

non est vitalis possessio, nec perficit intrinsece animam beati; cum actio vitalis a principio vitali elici debeat; & actio increata DEI, non sit principium vitale animæ &c. maj. constat ex illo Joan. XVII. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM &c.* min. confirmatur ex eo; sicut enim justitia DEI increata, & essentialis, non potest hominem reddere formaliter justum: sic neque visio DEI increata potest hominem reddere formaliter videntem, ac beatum.

Prob. II. Pars. Specialis ille DEI in animam illapsus, vel est intima DEI præsentia, vel quædam ejus operatio? non primum; quia DEUS per suam immensitatem omnibus creaturis, etiam dæmonibus in inferno, est intime præsens: nec tamen hac præsentia eos efficit beatos. Non secundum; si enim est operatio DEI: tunc debet aliquid produere, vel conservare, in anima beati: idque vel actuale, vel habituale: si vero DEUS aliquid producat: tunc ipse ille actus, vel habitus, erit ratio formalis beatificandi, & non ille illapsus. Dein: DEUS non illabatur animæ, ejusque potentiis, nisi infundendo habitus supernaturales: atqui beatitudo formalis, non consistit in habitu, sed in actu; cum sit actualis possessio, ac fruitio summi boni.

Prob. III. Pars: Beatitudo formalis est ultima hominis perfectio; secus non perfecte satiaret: sed ultima hominis perfectio, consistit in actuali operatione; perfectius enim est, actu operari, quam tantum in potentia esse ad operandum: ergo &c.

II. Beatitudo formalis, est actus vitalis, ex num. 35. atqui actus vitalis est operatio, ab intrinseco principio viventis procedens: ergo &c.

Resolutio II. Beatitudo formalis essentialiter, ac primario, consistit in sola DEI visione intuitiva, & non simul in amore, & delectatione: etiamsi ex visione, veluti radice, dimanent. Est Comm. Thomist.

Prob. I. Formalis beatitudo, est prima affectio ultimi finis, cæteras beatitudinis perfectiones causaliter continens: atqui hoc uni tantum convenit operationi, & quidem præ-

reliquis præstantiori, cujusmodi est visio intuitiva, tanquam operatio intellectus; cum amor, & gaudium, sint actus voluntatis: ergo in visione essentialiter, ac primario, consistit beatitudo formalis. maj. constat; nam etiam in aliis essentialibus id concipitur tanquam constitutivum formale, quod primo illis competit, & perfectiones cæteras, tanquam radix, in se continet: sicut in homine rationalitas. min. autem probatur: nam inter duas operationes naturæ rationalis, intellectum, ac voluntatem, datur subordinatio, & prioritas, ac posteritas, semperque præcedit cognitio amorem, & gaudium: quæ tamen ex objecto clare cognito, in quo videtur ratio omnis bonitatis, consequuntur. Hinc ad æquivocationes adversariorum declinandas, notandum, aliud esse statum beatitudinis, seu, integritatem: aliud essentialiam beatitudinis: sicut homo spectari potest dupliciter: quoad essentialiam, & integritatem. Status, sive, integritas beatitudinis, includit plures operationes, nimirum claram DEI visionem, amorem fruitivum, ac delectationem. Essentialia autem, est actus simplicissimus, nimirum visio intuitiva, quæ primo DEUM attingit, & causat amorem, ac gaudium.

38

Prob. II. S. Scriptura, & Patres, soli visioni adscribunt beatitudinem, tanquam radici amoris, & gaudii: ergo &c. ant. prob. Joan. XVII. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM.* Psalm. XVI. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psalm. LXXIX. *ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Joan. XIV. 8. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* S. AMBROSIUS Lib. II. de offic. Cap. 2. *Scriptura divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis.* S. AUGUSTINUS Lib. de spiritu, & littera Cap. XXII. *Illa cognitione, illa visione, illa contemplatione, satiabitur bonis animæ desiderium, hoc enim ei solum sat est, ultra non habet, quod appetat, quo inibiet, quod requirat.*

Prob. III. Ratione. Beatitudo formalis, est prima affectio ultimi finis, cæteras beatitudinis perfectiones radicaliter continens: sed visio intuitiva DEI, est prima affectio ultimi finis, cæteras perfectiones causans: ergo &c. min. prob. intellectus trahit objectum ad se; cum voluntas potius

tius trahatur ab objecto : juxta illud S. AUGUSTINI: *amor meus, pondus meum: eo feror, quocumque feror* : atqui objectum trahere ad se, idque sibi facere præsens, est assequi, & possidere : trahi vero ab objecto, est potius possideri : ergo visio est prima assecutio finis. min. prob. quoad II. Nam ex clara DEI visione oritur amor necessarius, summa delectatio, omnimoda inpeccabilitas, ut patebit ex seqq.

Prob. IV. Beatitudo formalis consistit essentialiter in illa operatione, quæ formaliter, vel causaliter, fatiat omnem appetitum creaturæ rationalis : atqui hoc efficit visio intuitiva : ergo. min. prob. Quatuor sunt præcipua hominis desideria : I. veritatis ; omnis enim homo naturaliter scire desiderat. II. Voluptatis. III. Æternitatis. IV. Dignitatis, & magitudinis : atqui hæc desideria fatiat visio : ergo &c. min. prob. I. Quoad veritatem ; nam videndo DEUM, videt beatus omne verum per essentiam, tam creatum, quam increatum, mysteria religionis, veritates naturales, creaturas possibles, futuras. II. Quoad desiderium voluptatis ; nam juxta D. THOMAM tria ad voluptatem concurrunt : potentia cognoscens, seu sentiens : objectum ei conveniens : & unio cum objecto : atqui in visione hæc habentur ; intellectus enim inter potentias est præstantior : ejus objectum convenientissimum est DEUS, primum verum, intellectui conjunctum. III. Quoad æternitatem ; semper enim videbitur DEUS, & hanc ipsam perpetuam beatitudinis durationem videt intellectus in DEO, seu, scit, se perpetuo beatum futurum. IV. Quoad magnitudinem ; major enim magnitudo ab homine appeti nequit, quam similitudo DEI, quantum est possibilis : atqui visio DEI intuitiva reddit beatum, DEO, quantum fieri potest, similem, juxta illud I. Joan. III. *Cum apparuerit, similes ei erimus ; quoniam videbimus eum, sicuti est* : quæ similitudo oritur ex intima illa intellectus beati cum divina essentia conjunctione, qua arctior post unionem hypostaticam non datur.

Prob. V. Amorem beatificum non esse formalem beatitudinem. Amor iste non est prima assecutio finis ultimi ;
sup-

supponit enim visionem : & aliunde nullus actus voluntatis est affectivus finis ultimi, primo, & per se; velle enim, est appetere : appetere autem, non est assequi, sed desiderare assequendum. Nam ut ait D. THOMAS hic Q. III. A. IV. Si consequi pecuniam esset per actum voluntatis, statim a principio cupidus consecutus esset pecuniam, quando vult habere illam. Dein : amor Patriæ est ejusdem speciei cum amore viæ : sed amor viæ non esse affectio ultimi finis : fecus viatores, in charitate constituti, jam essent beati comprehensores : ergo &c. maj. confirmatur. Si amor patriæ esset specie distinctus a charitate viali : sequeretur, charitatem vialem evacuari in Patria, eique succedere aliam distinctam : sicut fidei succedit clara visio : atqui hoc est contra D. PAULUM I. Corinth. XIII. *charitas nunquam excidit.*

Prob. VI. Beatitudinem formalem non consistere essentialiter in gaudio, seu, fruitione. Sicut enim desiderium est actus, tendens ad bonum absens, nondum habitum : ita fruitio est boni jamjam possessi : consequenter fruitio non est affectio finis, sed eam supponit. Delectatio enim, ut ait D. THOMAS hic Q. III. A. IV. advenit voluntati ex hoc, quod finis est præsens : non autem e converso ex hoc aliquid fit præsens, quia voluntas delectatur in ipso.

41 *Resolutio III.* Inchoata beatitudo viæ non consistit I. in actibus scientiæ acquisitæ : nec II. in donis Spiritus S. neque III. in actibus virtutum moralium : sed IV. in contemplatione DEI, & actionibus charitatis supernaturalis.

Prob. I. Pars. Nemo suis viribus per se ipsum beatum se efficere potest : atqui scientias propriis viribus homo acquirere potest : ergo &c. dein illa scientia sine charitate inflat, non ædificat : nec etiam explet appetitum hominis.

Prob. II. Pars. Virtutes Theologicæ sunt meliores donis Spiritus S. quia versantur immediate circa Deum : hæc vero solum circa motiva credibilitatis, clarius proponenda : quæ, cum insuper sint gratiæ gratis datæ, in peccatoribus reperiri possunt : implicat autem, peccatorem beatum esse, etiam inchoata solum beatitudine viæ ; cum sit a DEO, ultimo

mo fine, averfus. Atque ex hac ratione neque in actibus fidei, aut spei, beatitudo potest consistere; cum & isti habitus in peccatore ordinarie remaneant.

Prob. III. Pars. actiones virtutum moralium non versantur immediate circa DEUM, qui solus est ultimus hominis finis, quem beatitudo, etiam inchoata, quantum fieri potest, proxime attingere, & assequi debet: sed versantur circa objecta inferiora, & creata: uti misericordia circa proximi miseriam sublevandam: fortitudo animi circa adversa toleranda; temperantia circa voluptates frænandas. II. Quia vitæ contemplativæ major est perfectio, & delectatio; MARIA enim, vitæ contemplativæ figura, optimam partem elegit, dumque, ut observat S. AUGUSTINUS, MARTHA turbabatur in exercitio vitæ activæ: MARIA epulabatur per contemplationem. III. Contemplatio diligitur, & appetitur propter se: activa autem vita propter contemplationem. IV. Vita activa transit: contemplativa autem manet, etsi perficiatur, in patria: sicut ait D. GREGORIUS M. homil. XIV. in Ezechiel. „ Beatitudo vera hic incipit, ut in „ cœlesti patria perficiatur; quia amoris ignis, qui hic ar- „ dere inchoat, cum ipsum, quem amat, viderit, amplius „ ignescit. ”

Prob. IV. Pars. Inchoata beatitudo consistit in operatione omnium perfectissima: atqui contemplatio DEI, est operatio viatoris omnium perfectissima: ergo &c. min. prob. nam versatur circa objectum præstantissimum, DEUM ipsum, cui per cognitionem arctissime conjungitur, si que eum inchoative possidet, maxime amat, indeque delectatur. II. Habet rationem finis, ad quem cæteræ actiones hominis referuntur. III. Manet etiam in patria, ibique perficitur. Cum vero vitæ contemplativæ actus perfectissimi, sint actus charitatis: sequitur, in contemplatione, & amore, inchoatam vitæ beatitudinem consistere; Ille enim actus perfectissimus est, qui plenius, & perfectius possidet ultimum finem, DEUM, & plenius satiatur appetitum creaturæ rationalis: atqui hoc præstat actus charitatis: ergo &c. min. prob.

Actus virtutum theologiarum fidei, & spei, utut versentur immediate circa DEUM ipsum, imperfectiore tamen modo illum attingunt; fides enim, cum obscura sit, credit quidem DEO loquenti: sed quia non videt ea, quæ revelantur, desiderio tenetur, videndi illa: atque inde accenditur spes, quæ fertur tamen in DEUM, ut absentem: contra charitas perfectius unitur DEO, tanquam præsentis; *qui enim manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Et hinc non raro contingit; ut in illa intima unione anima gustet, & videat, quam suavis sit Dominus. Aliunde etiam, cum, quæ imperfecta sunt, in patria evacuentur, ut fides, & spes: Charitas autem nunquam excidat: sequitur iterum, actus charitatis longe perfectiores esse actibus fidei, & spei, ac multo magis actibus virtutum moralium. Præterea, etiam actus virtutum theologiarum, ut sint meritorii, DEOque magis placeant, hoc habent a charitate, per quam ordinantur, atque, ut loquuntur Theologi, formantur, seu, perficiuntur: quod autem alterum perficit, eo utique perfectius est, & præstantius. Jure igitur miratur HABERTUS depravatam quorundam Theologorum Probabilistarum mentem, qui docere non sunt veriti, hominem non teneri amare ultimum suum finem, DEUM, neque in principio, neque in decursu vitæ hujus: præceptum amandi DEUM, per se tantum obligare in articulo mortis: præceptum dilectionis non esse affirmativum, & speciale, sed negativum, & generale: non tam amorem DEI præcipi, quam odium vetari: præceptum impleri, si transgressione reliquorum præceptorum non offendatur: quod præter alios SIRMONDUS, Vir alioqui celeberrimus, ad perpetuam nominis sui infamiam docuit.

44 Objic. I. contra I. Resolut. Beatitudo est summum hominis bonum: sed actio creata non potest esse summum hominis bonum: ergo beatitudo formalis non consistit in actione ipsius creaturæ.

II. Beatitudo formalis est unio cum DEO: atqui unio hæc concipi potest sine operatione creaturæ, per intimam DEI præsentiam: ergo &c.

III. Ad beatitudinem requiritur; ut ipsa animæ substantia DEO impleatur; cum principaliter debeat beatificari anima, & non potentiæ operativæ: ergo consistit in illapsu divinitatis in ipsam animæ substantiam.

R. ad I. dist. maj. Beatitudo est summum hominis bonum, id est, possessio, ac fruitio summi boni, sicque objective. conc. est summum bonum formaliter sumta. nego. subdist. inter bona creata. conc. inter omnia bona, prout ipsum Deum includunt. nego.

Ad II. dist. min. Unio cum DEO, mere præsentialis, potest concipi sine operatione creaturæ. conc. min. unio vitalis, qualis est beatifica. nego min.

Ad III. dist. Ant. ut ipsa animæ substantia impleatur, immediate. nego. mediate. concedo. Cum enim beatitudo formalis in operatione consistat, substantia autem animæ non operetur immediate per se ipsam, sed per suas potentias, in sententia Thomistarum: hinc neque immediate impleri debet divinitatis illapsu, sed sufficit, si intellectus intime jungatur cum essentia divina.

Objic. contra II. Resolut. Formalis beatitudo consistit in perfectissima unione cum DEO: at unio per visionem, & amorem simul, est perfectior, quam per solam visionem: ergo &c. 45

II. Etiam si beatus assequatur DEUM per visionem, est tamen adhuc ulterius assequibilis per amorem: atqui beatitudo formalis debet esse totalis assecutio: ergo non in sola visione, sed etiam in amore, consistit. Maj. prob. per visionem beatus DEUM assequitur solum sub ratione veri: ergo ulterius assequi potest sub ratione boni, per amorem.

III. D. THOMAS hic. Q. IV. A. VIII. ad 3. ait: Perfectio charitatis est essentialis beatitudini quoad dilectionem DEI, non autem quoad dilectionem proximi: ergo etiam in amore essentia beatitudinis partialiter consistit.

IV. Essentia beatitudinis finalis consistit in operatione perfectissima: atqui visio non est perfectissima, sed amor: ergo &c. min. prob. I. Seraphini sunt perfectiores Cherubi-

nis, qui sic denominantur a plenitudine scientiæ. II. Opositum amoris, scilicet DEI odium, est pejus opposito, seu, carentia visionis: ergo etiam amor est perfectior visione.

V. BENEDICTUS XII. in Extravag. *benedictus DEUS*, ait: *animas Sanctorum visione, & fruitione, esse vere beatas*: ergo utrumque ad essentiam pertinet.

VI. Beatitudo formalis debet perfecte explere appetitum Beati: sed sola visio non explet: ergo &c. min. prob. I. Beatus non tantum appetit DEUM videre, sed etiam amare. min. prob. II. illud non explet ultimato appetitum, quod ordinatur ulterius ad alium finem: atqui unio ordinatur ad amorem beatificum: ergo &c.

R. ad I. dist. maj. in perfectissima unione, simpliciter tali. neg. maj. secus deberet consistere in unione hypostatica, quæ est simpliciter, & omnium perfectissima. in unione perfectissima, quoad rationem assecutionis. conc. maj. hoc autem fit per intellectionem, per quam intellectus fit unum cum essentia divina per assimilationem: cum contra per amorem tantum fiat unum cum objecto dilecto, ratione ponderis, & inclinationis in illud.

R. ad II. neg. maj. amor enim non est assecutivus, sed ex assecutione sequitur. prob. dist. per visionem Beatus solum assequitur DEUM sub ratione veri, tanquam ratione formali *sub qua*. conc. tanquam ratione *quæ*. neg. intellectus cognitione assequitur DEUM, ut est in se, sicque tam rationem veri, quam boni, omnesque perfectiones divinas identificatas; sicut enim intellectus in quovis alio ente non solum intelligit rationum veri, sed etiam boni, & alias entis qualitates, quæ sunt convertibiles, etiamli ratione formali sub qua *veri* illud tantum intelligat: sic etiam intellectus visione intuitiva DEUM adæquate assequitur, tanquam summum verum, & omne bonum, in quod postea voluntas fertur amore.

R. ad III. D. THOMAS loquitur de toto statu beatitudinis integralis, cui amor consecutive essentialis est, seu, ex essentia sequitur: non vero de ipsa formali assecutione.

R. ad IV. dist. maj. in operatione perfectissima, quoad entita-

titatem. neg. quoad modum affectionis. conc. sicque distincta. min. neg. consequ. potest etiam negari min. Ad I. prob. dist. Seraphim dicuntur ab ardore charitatis, vialis. conc. Patriæ. neg. amor viæ est perfectior cognitione in via; quia viator non cognoscit res, prout sunt in se ipsis, sed per quasdam species, seu, similitudines: amor autem fertur in res prout sunt in se ipsis: econtra cognitio patriæ, utpote intuitiva, DEUM videt, ut est in se, sicque perfectior est amore patriæ. Ad II. prob. dist. Odium est quid pejus carentia visionis, in genere moris. conc. in entitate Physica. nego.

ꝛ. ad V. Pontifex in illa extragagante solum definit, animas plene purgatas de facto esse in statu visionis beatificæ: non tamen determinat, in quo beatitudo formalis essentialiter consistat. Potest etiam distingui textus. Animæ sunt vere beatæ visione, & fruitione, quoad statum, qui visionem, amorem, & gaudium involvit: conc. sunt formaliter, & essentialiter beatæ, per fruitionem; ita, ut fruitio ad affectionem, & essentiam beatitudinis pertineat. nego.

ꝛ. ad VI. dist. maj. Beatitudo formalis debet per se ipsam perfecte explere primam hominis inclinationem, & cæteras causaliter. conc. omnes per se ipsam. neg. maj. Primaria hominis inclinatio est ad cognoscendum verum, quam explet visio, quæ etiam causat amorem, & gaudium de objecto cognito. prob. I. dist. non tantum appetit videre, sed amare DEUM, & hoc secundo. conc. primario. nego. prob. II. nego, visionem ordinari ad amorem: sed hic ex visione consequitur, tanquam proprietas; nihil enim volitum, quia præcognitum.

Objic. contra III. Resolut. Activa vita est perfectior, 46 quam contemplativa: ergo in contemplatione non consistit inchoata beatitudo. Ant. prob. vita contemplativa disponit ad activam; nam illi, qui prius se exercuere in contemplatione, vocantur ad actionem, ad curam animarum, ad Episcopatus: uti constat ex antiqua Ecclesiæ disciplina.

II. Actus virtutum moralium, & tota activa vita, est magis meritoria: ergo est perfectior: consequenter in contemplatione non consistit beatitudo inchoata viæ. Ant. prob. juxta GREGORIUM M. Homil. XII. in Ezech. *Nullum sacrificium est DEO magis acceptum, quam zelus animarum: qui utique est vitæ activæ.*

III. Beatitudo debet esse continua; debet enim esse tranquilla, & segura possessio: atqui contemplatio sæpissime interruptitur, ut tam ex PP. quam experientia constat, cum plerumque sit rara, & brevissimæ durationis.

IV. Beatitudo formalis patriæ consistit essentialiter in sola cognitione intuitiva: ergo etiam beatitudo viæ, in sola contemplatione, & non principaliter in actibus charitatis.

V. Visio intuitiva patriæ succedit fidei: ergo sicut visio est formalis beatitudo patriæ: sic fides est inchoata beatitudo viæ.

R. ad I. Neg. ant. prob. dist. disponit ad activam, tanquam ad effectum ipsius vitæ contemplativæ. conc. tanquam ad finem illius. nego. contemplatio dirigit actionem. Ut enim ait D. THOMAS II. II. Q. CLXXXII. A. IV. Ratio superior, quæ contemplationi deputatur, comparatur ad inferiorem, quæ deputatur actioni, sicut vir ad mulierem; quæ est per virum regenda. ut AUGUST. dicit XII. de Trinit.

R. ad II. Neg. ant. vel dist. est magis meritoria, accidentaliter. trans. substantialiter, & essentialiter. nego. contemplatio enim directe, & immediate attingit ipsum DEUM per amorem ipsius, ex quo omne meritum provenit: actio autem respicit directe proximi dilectionem: quæ, nisi per charitatem contemplativam ad DEUM, saltem virtualiter, referatur, ne quidem meritoria est, ex tractatu de merito. Quanto ergo major est contemplatio, tanto vehementior est DEI dilectio, quæ se continere non potest, sed flammæ instar erumpit, & per actiones, proximi salutem propter DEI gloriam procurare studet, sicque accidentaliter, & extensive, meritum augere potest.

¶. ad III. Retorqueo. Etiam operationes vitæ activæ non sunt continuæ, utpote quæ sæpe interrumpuntur distractionibus, & necessitatibus corporalibus cibi, potus, somni: quæ tamen actiones non interrumpunt contemplationem. Itaque dist. non est continua contemplatio, actualis. conc. non potest esse continua, virtualiter, ita; ut in virtute præviæ conjunctionis cum DEO, per imperium charitatis omnia referantur in DEUM, sicque justus semper DEUM virtualiter contempletur. sic neg. hoc enim magis possibile est, quam semper esse in vita activa occupatum. Si contemplatio sumatur pro suavi illo gustu, quem anima quandoque percipit ex consortio, & conversatione amabili cum DEO: hanc utique nemo continuam dicet: sed hic non est conceptus genuinus contemplationis; cum sit solum extra ordinarium quid, nec in hominis voluntate repositum: semper autem homo diligere, Deumque contemplari, saltem, ut dictum est, virtualiter, per gratiam potest.

¶. ad IV. Nego conseq. Disparitas est; quia visio intuitiva attingens DEUM, ut est in se ipso, ipsum primario attingitur, intimeque eidem unitur: econtra contemplatio viæ, quæ DEUM attingit non immediate, sed per similitudinem, non adeo perfecte unit, sicut amor viæ, per quem DEUS in via perfectius possidetur; quoniam, qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo; ex dictis num. præced. respons. ad IV.

¶. ad V. Visio intuitiva succedit fidei, ita tamen; ut fidem evacuet in patria. con. secus. nego. fides, tanquam obscura, est aliquid imperfectum, & locum non habet in beatitudine, quæ est clara visio: econtra charitas manet etiam ibi, & perficitur: ergo etiam, ut est in via, est perfectior fide; quamvis adhuc magis perficiatur in patria. Jam vero certum est, in operatione perfectiore repositam esse etiam beatitudinem vialem: itaque in charitate, quæ fundatur in contemplatione, potissimum sita est.

§. III.

De proprietatibus beatitudinis.

47 **Q**Uatuor recensentur ab auctoribus affectiones, beatitudini formali propriæ: I. Amor necessarius. II. Delectatio. III. Inpeccabilitas. IV. Inamissibilitas, seu incorruptio. Quod Beati DEUM necessario ament, necessitate specificationis, seu, contrarietatis, facile omnes largiuntur: volunt tamen Scotistæ, eos adhuc esse liberos quoad exercitium, ut possint ab amore cessare. Quoad alterum quærent: an gaudium, quod Beati sentiunt de bono proprio, procedat ab habitu spei; cum sit amor concupiscentiæ: vel ab habitu charitatis? quæ quidem quæstio ab illis dependet principiis, quæ in tractatu de Virtutibus Theologicis trado: ubi paulo aliter de spe, & charitate, quam Scholastici communiter solent, dissero; & amorem concupiscentiæ non ad spem, sed charitatem reduco; quæ, cum sit amicitia: ex benevolentia, & concupiscentia coalescit. Circa tertium quæritur: an beati sint ab intrinseco, vel tantum ab extrinseco impeccabiles, divina providentia prohibente, ne in peccatum labantur? Quoad quartum: an finem habitura sit beatitudo? quod ORIGENES sensit, docens, dæmones aliquando salvandos, Beatos autem aliquando damnandos fore. Quæri hic etiam posset: an beatitudo sit in omnibus æqualis? Ut JOVINIANUS voluit: sed hæc controversia jam præoccupata fuit in tractatu de DEO uno, ubi de visione beatifica, quam ostendi inæqualem, propter inæqualitatem luminis gloriæ, respondentis majoribus, vel minoribus Beatorum meritis. His observatis

48 *Resolutio I.* Beati DEUM necessaria amant, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium. Ita D. THOMAS contra Scotistas.

Prob. I. Si Beati possent non amare DEUM, vel odiendo, vel cessando ab amore: tunc deberent in DEO apprehendere aliquam rationem mali, seu, veri, seu, apparentis:

tis : aut deberent erronee judicare, melius esse, ab amore cessare, & alteri inhærerere objecto : atqui Beati in DEO, intuitive viso, qui est omne bonum, non possunt deprehendere rationem alicujus mali, nec possunt erronee judicare, cessationem ab amore, esse aliquid melius, prosecutione amoris : ergo &c. min. prob. si posset intellectus Beati judicare, cessationem ab amore esse sibi majus bonum : tunc vel propter lassitudinem, & defatigationem, vel nauseam in continuo amoris exercitio : atqui ob neutrum ; non enim defatigantur amando ; cum non indigeant organis corporis : nec nauseam sentire possunt in amoris exercitio ; utpote suavissimo, quodque ipsos delectat maxime ; cum DEUS semper videatur, ut summum bonum, quod non amari non potest : prout ait S. AUGUSTINUS Lib. ult. de Civit. DEI cap. ult. „ DEUS sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine „ fatigatione laudabitur. ”

II. Sicut voluntas viatoris se habet ad bonum, ut sic : ita voluntas beati ad summum bonum, clare visum : atqui voluntas viatoris non potest non tendere in bonum, ut sic : ergo voluntas beati non potest non tendere in summum bonum ; sicut ergo tendentia in bonum, ut sic, est amor boni, ut sic : ita tendentia in summum bonum, est amor summi boni ; quod cum semper videatur clare a beato, etiam ab illo semper amando, non potest impediri.

Resolutio. II. Beati ex clara visione, & amore beatifico, 49 sentiunt summum gaudium, & voluptatem : quod tamen non est actus spei, sed charitatis.

Prob. I. S. Scriptura de beatitudine loquens, semper meminit summi gaudii, & ineffabilis voluptatis. Sic Math. XXV. *Euge serve bone, . . . intra in gaudium Domini tui.* Et Psalm. XXXV. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Gaudebunt autem cum de bono divino, de quo intelligendum illud Apocal. XIX. *Quoniam regnavit Dominus DEUS noster omnipotens, gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei : tum de bono proprio, & felicitate sua, de quo gaudio ait Psalmista Psalm. XIX. Adimplebis*

me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.
 Quod vero utrumque gaudium a charitate eliciatur, non a spe: ratio est; quia spes evacuatur in Patria. Spes est enim de bono absente, & arduo: atque beatis bonum, in via desideratum, non est absens, sed intuitive, & intime præsens: ergo. Hinc ait Apostolus, Rom. VIII. *Spes autem, qua videtur, non est spes; nam quod quis videt, quid sperat?*

Prob. II. Delectatio illa debet elici ab aliquo habitu virtutis Theologicæ: atqui nulla, præter charitatem, remanet in patria; fidei enim obscuræ succedit clara, & intuitiva DEI visio: spei succedit ipsa comprehensio boni, quondam absentis, nunc possessi: itaque sola superest charitas, quæ gaudium hoc eliciat, & DEUM, ut bonum sibi proprium, diligat.

50 *Resolutio III.* Beati sunt ab intrinsece impeccabiles.

Prob. I. Si beati possent peccare: tunc deberent se posse avertere a DEO ad creaturam: at hoc non possunt, ergo. min. prob. si possent se convertere ad creaturam, relicto DEO: tunc bonum creatum deberet eos magis delectare, quam bonum summum, infinitum; Nam juxta AUGUSTINUM, secundum id operatur voluntas, quod eam magis delectat: atqui bonum creatum non potest magis delectare voluntatem beati, quam bonum infinitum, clare cognitum; quod enim voluntas viatoris a DEO avertatur, & ad creaturam convertatur: ex eo provenit; quia intellectus non clare videt omnem DEI bonitatem: & hinc in creatura aliquid reperit, quod ipsi hic, & nunc, majus bonum apparet: quamvis intellectus sic judicando erret. Hoc autem fieri non potest in beato; utpote qui non potest erronee judicare, majorem esse in creatura bonitatem, quam in DEO, summo bono, clare cognito, qui omnem etiam creatam beatitudinem eminenter in se complectitur; cum utique omne bonum creatum, sit tantum participatio bonitatis divine: hinc

Prob. II. Si beatus posset peccare: deberet erronee judicare; cum omne peccatum præcedat error in intellectu:
 atqui

atqui beatus non potest erronee judicare; eo quod in DEO clare videat omnem veritatem, nulloque impedimento ab hac cognitione turbari queat.

Prob. III. Beatus necessario diligit DEUM, necessitate contradictionis, id est, omni suo actu, ex dictis, num. 48. atqui cum amore beatifico componi non potest peccatum, sive mortale, sive veniale. ergo &c. min. prob. Non mortale; quia hoc est totalis aversio a DEO: nequit autem beatus per amorem simul ad DEUM conversus, & per peccatum grave, ab eo esse aversus. Non veniale; quia, etsi non sit aversio, nec charitatem tollat: est tamen diversio, & fervorem charitatis minuit: atqui ista diversio stare non potest cum amore beatifico, qui est continua ad ultimum finem conversio, a qua cessare, consequenter ad aliud objectum circa finem divertere, beatus non potest.

Resolutio IV. Beatitudo erit æterna, & inamissibilis. Est 5^a de fide.

Prob. ex S. Scriptura Sap. V. *justi in perpetuum vivent.* Math. XXV. *justi ibunt in vitam æternam.* I. Petri II. beatitudo vocatur *hereditas incorruptibilis, incontaminata, inmarcescibilis.* Hoc ipsum profitemur in symbolo: vitam æternam, & testantur Patres sine numero.

Prob. Ratione. I. Beatitudo, cum sit status, omnium bonorum aggregatione perfectus, debet plene satiari omnem appetitum possidentis: sed, nisi inamissibilis, &, ut talis, a beato cognita foret: non plene satiaret appetitum beati; cum enim continua boni possessio, sit maximum bonum: hoc ipsum beatus appeteret vehementissime, nimirum perpetuam possessionis boni, semel adepti, conservationem: ergo &c.

II. Beatitudo debet esse secura, & tranquilla possessio: sed, si posset amitti, non esset secura, & tranquilla; beatus enim in continuo metu, & anxietate foret, ne felicissimum statum amittat: sicut justi in terra semper timent, ne amittant gratiam, & amicitiam cum DEO; quia eam in via facile possunt amittere. Cum igitur ipsa natura beatitu-

dinis perpetuitatem exigit : hoc sensu ab in trinfeco inamif-
fibilis dici potest.

52 Objic. contra I. Resolut. Charitas Patriæ est ejusdem
speciei cum charitate viæ : atqui charitas viæ non necessitat
quoad exercitium : ergo nec charitas Patriæ

II. Voluntas pro statu beatitudinis non amittit liberta-
tem ; cum sit perfectio creaturæ rationalis, & etiam in DEO
reperitur : atqui libertas non potest consistere cum neces-
sitate contradictionis, sive, exercitii : ergo &c.

III. Beatus in cessatione ab amore reperire potest aliquam
rationem boni, ipsum nempe libertatis exercitium : ergo &c.

Resp. ad I. Retorq. charitas viæ ne quidem necessitat
quoad specificationem : quod tamen certum est de charitate
Patriæ. Itaque dist. est ejusdem speciei : sed regulatur tamen
alio principio. conc. eodem. neg. maj. charitas viæ regulatur
per fidem, quæ quidem repræsentat DEUM, ut summum bo-
num, non tamen clare, nec continuo : contra charitas Pa-
triæ regulatur per lumen gloriæ, & visionem beatificam,
quæ DEUM repræsentat ut summum bonum clare, & qui-
dem continuo ; jam vero summum bonum, clare, & in-
tuitive visum, necessario, & continuo amatur.

Resp. Ad II. dist. maj. Non amittit libertatem, circa
bona particularia, & limitata. Trans. circa bonum infini-
tum, & universale, clare visum. neg. maj. sicut enim vo-
luntas non est libera circa bonum, ut sic ; cum nihil possit
velle, nisi sub ratione boni, saltem apparentis : ita nec li-
bera est circa bonum universale, & infinitum, clare cogni-
tum.

Resp. Ad III. Neg. ant. Nam circa bonum universale,
& infinitum, non potest exerceri libertas, sed solum circa
bona particularia, & finita : sicut intellectus non potest ne-
gare assensum primis principiis universalibus, quæ necessa-
rio percipiuntur ut vera : ita voluntas non potest cessare,
ab amando bono universali, & infinito, clare cognito.

Objic.

Objic. contra III. Resolut. Angeli peccare possunt, 53
juxta illud Jobi IV. 18. *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles,*
& in angelis suis reperit pravitatem: ergo etiam beati.

II. Damnati habent potentiam Physicam, operandi bene:
ergo etiam beati, operandi male.

III. Charitas viæ non excludit potentiam peccandi: er-
go nec charitas Patriæ; cum sint ejusdem speciei.

Resp. ad I. Verba illa non esse Jobi, sed ejus amici
Eliphaz, qui, cum probare conaretur, Jobum ob peccata sua
affligi, eoquod DEUS innocentes nunquam affligat, multa
locutus est parum accurate: quæ tamen, ut ab eo proposita,
historice refert S. Scriptura: diciturque de eo Cap. LXII.
non fuisse locutum *rectum, sicut Job.* Dein, textus explicari
potest de Angelis viatoribus: non autem de comprehenso-
ribus.

Ad II. neg. coseq. Disparitas est: quia in damnatis ad-
huc remanet indifferentia judicii; cum non ita firmiter, &
Physice immobiles inhæreant objecto, semel electo, ut non
possint ullam bonitatem apprehendere in alio objecto, se-
que ad illud convertere: econtra beati circa DEUM,
summum bonum, clare visum, non possunt indifferenter judi-
care, & extra DEUM aliam bonitatem reperire, ad quam
se converterent, & a DEO averterent.

Ad III. Neg. conseq. disp. est, ex dictis, num. præced.
quia charitas viæ regulatur principio fidei, quod DEUM,
summum bonum, proponit tantum obscure, nec tollit in-
differentiam judicii: charitas autem Patriæ regulatur clara
visione summi boni, in quo nulla ratio inveniri potest,
quæ beatum moveret ad cessationem ab amore.

Objic. contra IV. Resolut. lumen gloriæ, quod est for- 54
ma beatitudinis, non est connaturale ulli creaturæ; cum
nulli debeatur: atqui forma, quæ subiecto non est connat-
uralis, recipitur in eo amissibiliter: ergo est amissibilis.

II. Gratia sanctificans est radix luminis gloriæ, & visio-
nis: atqui gratia sanctificans est amissibilis: ergo etiam bea-
tifica visio.

Resp. ad I. Hæc objectio supponit, lumen gloriæ esse accidens absolutum, quod multi alii negant, quibus argumentum istud non officit. Vid. dicta *de DEO uno*, de invisibilitate DEI. Peripatetici dist. min. nisi sit ex se incorruptilis, & recipiatur in subiecto tali, quod vi status sui exigit perpetuam formæ receptæ conservationem. conc. min. fecus. neg. min. visio beatifica ex sua natura est incorruptibilis; cum principia, ad eam concurrentia, nempe lumen gloriæ, & essentia divina, per modum speciei intelligibilis beatorum intellectui unita, incorruptibilia sint: sed etiam subiectum pro statu beatitudinis, qui debet esse continuus, exigit luminis gloriæ conservationem; si enim illud amittere posset: eo ipso perfecte beatus non esset.

Ad II. Gratia sanctificans, Patriæ, consummata, est radix luminis gloriæ. conc. gratia viæ. neg. maj. dist. min. gratia sanctificans *viæ*, est amissibilis. conc. gratia consummata. nego. Ideo gratia viæ est amissibilis; quia pro illo statu non plene sibi subjicit liberum arbitrium, sed potius eidem subicitur; voluit enim DEUS, ut viator libere tendat ad terminum: contra, gratia consummata Patriæ, totaliter, & plene, sibi subjicit flexibilitatem liberi arbitrii; ut jam amplius ad malum tendere non possit, propter clarissimam visionem summi boni, necessario, & continuo, super omnia dilecti: ex dictis in præcedentibus.

§. IV.

De dotibus animæ beatæ.

- 55 **D**Otis nomine lato sensu intelligitur donum aliquod, a natura, vel gratia, alicui collatum: quo sensu OVIDIUS Lib. III. Trist. Eleg. XI. *nam tibi cum facilis mores natura pudicos, & raras dotes, ingeniumque dedit.* Proprie autem dicitur pretium, quod datur sponsæ a Parente, vel propinquo, cum ad ornatum ipsius sponsæ, tum ad sustentanda facilius per maritum matrimonii onera. Quoniam autem
ani-

anima beata, tanquam Christi sponsa, æterno conjugio spiritali cum eodem copulatur: hinc dona, animæ in istis nuptiis conferenda, *dotis* nomine a Theologis appellantur. Est vero de ratione *dotis*, proprie dictæ; quod, I. quamvis assignetur sponsæ, debeat tamen habere respectum ad maritum, cui sponsa destinatur.

II. Quod conferatur nuptiarum tempore, dum solenniter traducitur sponsa ad domum mariti, perpetuo cum eodem permansura.

III. Quod ordinetur ad uxoris sustentationem. Hæc, cum proportione aliqua, observantur in donis, animæ beatæ conferendis, dum nuptias cum Christo sponso celebrat solennes; Nam ita se tenent ex parte animæ, ut immediate tamen DEUM respiciant. Hinc rationem dotis non participant perfectiones illæ naturales, vel supernaturales, quæ, licet animæ beatæ conferantur, DEUM tamen pro immediato objecto non habent. II. Dona, quæ dotis nomine proprie veniunt, non debent conferri ante statum beatificum; dum enim sumus adhuc in via, & per fidem ambulamus: sponsalia quidem animam inter, & DEUM, contrahuntur, non tamen verum, firmumque matrimonium: propter mutabilitatem liberi arbitrii, sed primum in Patria per gratiam confirmationis, & visionem consummatur, ac indissolubile efficitur; hinc unio animæ viatricis cum DEO appellantur quidem sponsalia Osee II. *Sponsabo te mihi in fide*: unio vero beatifica vocantur nuptiæ, Apocal. XIX. „Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se: . . . Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.” Ex hac ratione dona status viæ, etiam supernaturalia, non vocantur *dos*, sed *pignus*, vel, *arra*: de quo Ecclesia: *annulo suo subarrhavit me.* III. Dotes animæ beatæ ordinantur ad vitam beatam sustentandam. Definitur ergo dos animæ a D. THOMA in IV. Dist. XLIX. Q. IV. A. I. quod sit *perpetuus ornatus animæ vitæ sufficiens, in æterna beatitudine jugiter perseverans*, cujus sensus ex dictis colligitur. Ordinarie in humanis dos non a marito, sed a Pa-

tre,

tre, vel propinquo sponsæ, provenit: quamvis non nunquam ob paupertatem sponsæ, vel vehementem sponsi amorem, sponsus ipse, aut ejus Pater, dotem assignet. Atque ita contingit in beatitudine. Ob paupertatem animæ sponsæ, & immensum Christi erga eam amorem, sponsus ipse Christus, vel Pater, id est, tota Trinitas, dote non una eam prævenit, & ornat.

56 *Resolutio.* Tres sunt animæ beatæ dotes: visio, comprehensio, & fruitio. Ita D. THOMAS, & Comm. Theolog.

Prob. I. Totidem dotibus matrimonium consummatum perficitur in Patria, quot donis inchoabatur in via: atqui hic tribus donis inchoabatur, nimirum fide, spe, & charitate: ergo totidem dotibus correspondentibus perficitur in Patria; fidei enim obscuræ succedit clara DEI visio: spei, quæ ferebatur in DEUM absentem, & nondum habitum, comprehensio: de qua ait PAULUS, *sic currite, ut comprehendatis*: & sponsa in canticis: *tenui eum, nec dimittam*. Charitati, quæ DEUM dilexerat absentem, succedit fruitio, quæ est quies in illo, præsentialem habito. Sic itaque visio evacuat obscuritatem: comprehensio distantiam: fruitio anxietatem; quia anima in via, utcunque DEO per charitatem unita, semper tamen metuit, ne eum amittat. Cum ergo tria sint animæ dona, quæ eam ornant in via, ut sponsam: fides, spes, & charitas: tres quoque erunt dotes, succedentes donis: & eam, ut uxorem, ac conjugem, exornabunt.

Prob. II. His tribus dotibus conveniunt conditiones ad rationem dotis requisitæ; inhærent enim animæ: & DEUM immediate respiciunt: ex iis vita beata sustentatur: & nonnisi cum ipsa beatitudine in consummatione matrimonii conferuntur: ergo solum tres sunt.

De resurrectione, & dotibus corporis gloriosi.

Sicuti anima, plene purgata, jam ante judicii diem in ipso beatitudinis, tanquam matrimonii, ingressu dotibus suis ornatur: ita etiam corpus in resurrectione, dum animæ unitur, & ad beatitudinem completam totus homo pertingit, proprias habebit dotes. Quia vero corporum resurrectionem nonnulli in dubium revocarunt: hinc de isto dogmate, quod Prophetæ, Christus, Apostoli, Patresque, unanimiter asseruerunt, hoc loco agendum est. Negarunt vero illud primo Sadducæi, inter Judæos sectarii, quibuscum CHRISTUS, & Apostoli, frequenter disputarunt. Negabant etiam Pagani Philosophi; cum enim PAULUS Athenis in Areopago disputaret, Christumque a mortuis suscitatum diceret: tunc, ut refert S. LUCAS Act. XVII. 32. „ Cum audissent „ autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irri- „ debant, quidam vero dixerunt: audiemus te de hoc ite- „ rum. ” Corinthiorum quosdam de eodem dogmate dubitasse, colligitur ex Ep. PAULI I. ad Corinth. XV. ubi ait: *Quomodo quidam dicunt in vobis? quod resurrectio mortuorum non est.* In Ep. II. ad Timoth. II. Idem PAULUS impietatis, atque erroris, arguit Hymenæum, & Philetum, dicentes, *resurrectionem esse jam factam, & subvertentes quorundam fidem.* Negavit quoque SIMON Magus, BASILIDES, GNOTICI, nonnulli ex CERINTHIANIS. VALENTINIANORUM aliqui resurrectionem jam factam esse dicebant: alii adhuc futuram, non proprii, sed alterius corporis. ARCHONTICI, & CERDONIANI, docuere, animas quidem resurgere, non vero corpora, quos etiam secutus est MARCION, & SEVERIANI Hæretici, Authore SEVERO, ac postea HIERACITÆ. Circa modum resurrectionis erravit etiam ORIGENES, qui corpora non recta, ut modo, sed orbicularis figuræ, neque cum sanguine, & membris, tunc inutilibus, sed subtilia, & aërea, fore resurrectura, docuit.

Atque utinam non & hodie impii quidam Naturalistæ , sicuti de animæ immortalitate , Deique existentia , dubitant : ita corporum quoque resurrectionem eo ipso e medio tollant ! his notatis

58 *Resolutio I.* Mortuorum hominum corpora eadem , ut quondam erant , viventium , divina virtute suscitata , ante extremum iudicii diem resurgent. Est dogma fidei.

Prob. I. Ex S. Scriptura vet. testam. Job. XIX. confitetur :
 „ Scio , quod redemptor meus vivit , & in novissimo die
 „ de terra surrecturus sum , & rursus circumdabor pelle
 „ mea , & in carne mea videbo DEUM meum , quem vi-
 „ surus sum ego ipse , & oculi mei conspecturi sunt , & non
 „ alius &c. ” Hoc testimonium non tantum evincit mortuorum resurrectionem , contra Sadducæos , aliosque : sed etiam hoc ; quod eadem caro , idem corpus , aliquando resuscitandum sit.

59 Prob. II. Ex nov. test. CHRISTUS Math. XXII. Sadducæos , qui ad eum tentandum venerant , hoc argumento convincit : DEUS in Scriptura dicitur , DEUS Abraham , & DEUS Isaac &c. DEUS , non est DEUS mortuorum , sed viventium : at qui est DEUS Abraham , & Isaac &c. ergo hi non sunt mortui , sine spe resurrectionis corporum , quæ anima immortalis sibi denuo jungenda appetit , ex divina promissione.

60 Prob. III. Autoritate , & ratione D. PAULI in Ep. I. ad Corinth. XV. ubi cum argumento morali , tum naturali , resurrectionem probat : quod , quia longum est , & Scriptura cuiusvis patet , hic repetere non vacat.

Prob. IV. Ex Ecclesiæ definitione ; In Symbolo enim Apostolorum credimus *carnis resurrectionem* , idemque in Symbolo Constantinopolitano confitemur.

61 Prob. V. Auctoritate , & ratione , Patrum. Et de consensu quidem Patrum dubium non est ; cum & plures eorum exstiterint , qui ex instituto hoc dogma contra infideles propugnauerunt , uti ATHENAGORAS , IRENÆUS , TERTULLIANUS , CYRILLUS Jerosolymit. &c. alii vero data occasione constanter professi fuerunt. Rationes autem , quibus

bus Patres cum possibilem, tum futuram, resurrectionem suadere conati sunt, sequentes erant præcipuæ.

I. Si mortuorum corpora non resurgunt : tunc ideo ; quia vel DEUS non potest : vel , quia non vult ea resuscitare : atqui , & potest , & vult. ergo &c. min. prob. Quoad I. si DEUS non posset : tunc ideo ; quia vel nesciret modum efficiendi , vel careret virtute exsequendi : atqui , & scit , & potens est : ergo. min. prob. DEUS præno-scit ea , quæ nondum sunt : ergo , & ea , quæ fuerant. Cum igitur copora nostra in sui resolutione non annihilentur : scit , ubi eorum partes , utut resolutæ , dispersæ , aut immutatæ , serventur ; scit eas in pristinam compagem restituere ; insuper autem , cum sit omnipotens , & ex nihilo producere possit omnia : poterit etiam dispersas atomos colligere , ac in pristinum , melioremque , statum convertere. min. principalis prob. quoad secundum. Si corpora dissoluta resuscitare nollet : tunc ideo ; quia vel injustum est : vel , quia DEO indignum : neutrum. ergo &c. min. prob. Quoad I. hac resurrectione nec fit injuria creaturis intellectualibus : ut est evidens : nec brutis animantibus ; cum sensu careant , & , tanquam ignobiliora , eandem cum homine sortem expetere nequeant. Nec corpori ; cum potius magno sui emolumento , per conjunctionem cum anima , efficiatur immortale. Nec ipsi animæ rationali ; quia ad sui compartem , ad quam primo destinata est , & innato appetitu fertur , postliminio , & irrevocabiliter , revertitur. min. prob. Quoad II. Non fuit indignum DEO , creare ex nihilo corpus corruptibile : ergo multo minus indignum est , e statu corruptibili ad incorruptionem evehere. Hoc est ratiocinium ATHENAGORÆ.

II. Ratio ejusdem. Totus homo , qui constat ex cor- 62
pore , & anima , judicio sisti , & judicari debet : atqui totus homo judicari nequit , nisi corpus ad vitam resuscitetur : ergo resurget. maj. prob. ille judicari debet , qui criminis causa , saltem partialis , existit , & poenæ reus est : atqui corpus fuit saltem causa partialis peccati , & poenæ reum est :

ergo debet judicari. min. prob. anima sola non peccavit, in delictis externis v. g. voluptatibus corporis, sed per membra corporis : nec corpus solum peccavit, quod legis ac judicii vim non percepit : ergo totus homo, qui deliquit, aut bene egit, judicari nequit, nisi corpus quoque, pœnæ, vel præmii, particeps fiat.

III. Ejusdem ATHENAGORÆ ratio est. Leges positæ sunt toti homini, & non soli animæ: ergo earum transgressio, vel observantia, toti homini ad culpam, vel meritum, sicque ad pœnam, vel præmium, imputari debet : quod non fieret, nisi corpus resurgeret ; cum multi impii, sine pœna temporali, vel pii, sine præmio accepto, ex hac vita decedant.

63 S. IRENÆUS variis quoque rationibus resurrectionem corporum probat. Et primo, propter Evcharistiam ; quæ, cum sit cibus hominis, & corpora nostra (ratione specierum) nutriat, atque in carnem nostram convertatur : eadem immortalia reddit. Cum ergo non præservet a morte temporali corporis : efficere debet ; ut iterum resuscitata, æternum vivant.

II. Corpora hominum sunt templum DEI inhabitantis : atqui hoc templum destrui perpetuo, blasphemum judicat IRENÆUS : ergo &c.

III. CHRISTUS carnem assumpsit humanam, & in eadem denuo resurrexit : quod non fecisset, nisi carnem nostram sanare, & ad parem incorruptibilitatem, per resurrectionem, elevare voluisset ; cum factus fuerit homo similis nobis, sicut in passione, ita & in corporum resuscitatione. Similes, aliasque insuper rationes, profert cum IRENÆO, TERTULLIANUS, ac Patres passim.

64 Quod vero eadem sit resurrectura caro, quæ prius erat animæ juncta, & non diversa substantia spiritualis : Ex eo probare solebant antiqui Patres, contra VALENTINIANOS, Origenistas, aliosque ; quod CHRISTUS, post suam resurrectionem discipulis apparens, non carnem tantum palpandam ostenderit, ad confutandam eorum dubitationem, tanquam

quam esset phantasma, aut merus spiritus: sed etiam vuln-
rum cicatrices, dicens eis: *Palpate, & videte; quia spiritus*
carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere: & THOMÆ
etiam præceperit, ut digitos suos in locum clavorum, ac
lateris vulnus, immitteret.

Resolutio II. Quatuor erunt dotes corporis gloriosi: im- 65
passibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas.

Prob. I. Ex D. PAULO, qui I. Corinth. XV. has do-
tes ita recenset: „Seminatur (corpus per mortem) in cor-
„ruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobi-
„litate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget
„in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spi-
„rituale.”

Prob. II. Ex D. THOMA, qui varias conjecturas ha- 66
rum dotium enumerat, & quidem in IV. Sent. D. XLIX.
Q. IV. A. V. q. 3. „Dicendum, quod anima, & est for-
„ma corporis, & motor: unde, cum dotes corporis ad
„hoc ordinentur, ut corpus perfecte animæ subjiatur,
„hoc erit, ut subjiatur ei perfecte, sicut formæ, & si-
„cut motori. A forma autem in materia tria causantur,
„scilicet esse substantiale, vires, & formæ secundariæ,
„scilicet accidentales, & amborum conservatio. Corpus
„ergo gloriosum, in quantum perfecte animæ subditur,
„quantum ad esse substantiale, quod ab ea habet, sic est
„dos *subtilitatis*: ex hoc enim corpus gloriosum subtile dicitur,
„quod perfecte ab anima informatur. In quantum
„vero perfecte subditur ei ut formæ secundum accidenta-
„les formas, quæ sunt in corpore ab anima, sic est dos
„*claritatis*. In quantum vere corpus gloriosum perfecte ab
„anima conservatur, sic est dos *impassibilitatis*: ex hoc enim
„impassibile dicitur, quod ex vi animæ servatur immune
„ab omne læsione. Sed in quantum perfecte subditur ani-
„mæ, ut motori, sic est dos *agilitatis*; corpus enim secun-
„dum hoc dicitur agile, quod ad omnes animæ actus est
„expeditum, & paratum.” Vid. etiam Lect. V. in cit.
locum PAULI.

- 67 Aliam adhuc congruentiam quatuor harum corporis gloriosi dotium defumit ibidem Sanctus THOMAS ex quaternario virtutum cardinalium numero ; sicuti enim virtutibus Theologicis respondent dotes animæ : ita cardinalibus dotes corporis ; eo quod cardinalium virtutum materia sint bona corporalia, ut scilicet prudentiæ respondeat claritas, propter cognitionem : justitiæ, quæ est perpetua, & immortalis ; impassibilitas : fortitudini agilitas, ex qua contingit ; ut nihil corpori possit resistere, unde agilitas notatur I. Corinth. XV. per hoc, quod dicit : surget in virtute. Temperantiæ vero, quæ corpus attenuat, subtilitas respondet.
- 68 Explicatur dos *impassibilitatis* : hæc enim non solum mortem, & corruptionem, sed omnem etiam dolorem, & quidquid aduersum, excludit. Provenit autem hæc dos ex plena subiectione corporis ad animam, quæ omnem alterationem, vel dispositionem ad aliam formam impedit. Vel dici etiam potest, quod ex beatitudine, & gloria animæ, redundet in corpus gloriosum quædam perfectio, aut qualitas supernaturalis, per quam ad talem subiectionem habile reddatur.
- 69 *Subtilitas* corpus gloriosum ab omni terrenæ labis mole, ac crassitie, liberum reddet, aptumque ad penetranda omnia corpora : non quidem physica virtute, sed gratia, ac voluntate DEI. Dicit propterea PAULUS corpus *spirituale* : non quod sit spiritus, sed ad instar spiritus, qui scrutatur, sive, penetrat omnia.
- 70 *Agilitas* est vis gloriosi corporis, qua possint se beati movere, quocunque voluerint ; ut nil ipsis resistat : propterea dicitur corpus resurgere *in virtute*. Erit autem agilitas tanta ; ut non solum volocitati aquilæ volantis a S. HILARIO, aut radio solari, qui ab oriente statim paret in occidente, a LAURENTIO Justiniano, sed agilitati Angelorum, a S. ANSELMO comparetur.
- 71 *Claritas*, seu, luciditas, vi cujus corpora non erunt amplius obscura, sed fulgebunt *justi sicut sol in regno Patris eorum.*
Math.

Math. XIII. Erit autem probabilius ista claritas non tantum secundum superficiem, uti sunt specula: sed etiam secundum profunditatem, & diaphana ad instar crystalli; ibi quippe, ut loquitur S. GREGORIUS M. Lib. XVIII. Moral. cap. ult. ad illud Jobi XXVIII. *non adæquabitur ei aurum, vel vitrum,* „ uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animis, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia: „ sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut „ nunc esse non potest conspicabilis sibi. ”

Objic. contra-II. Resolut. Juxta Apostolum I. Corinth. 72 XV. caro, & sanguis regnum DEI possidere non possunt: atqui si prædestinatorum resurgerent corpora, caro possideret regnum DEI: ergo non resurgent.

II. D. PAULUS II. Corinth. IV. Duplicem distinguit hominem, unum exteriorem, qui corrumpitur, & alium interiorem, qui renovatur: atqui homo ille exterior est corpus: ergo corrumpitur.

III. Resurrectio carnis implicat contradictionem; resurgeret enim caro, ex hypothesi: & non resurgeret; quia non esset eadem caro: sequeretur, cæcos, claudos, aliosque deformes, cum suis imperfectionibus resurrecturos: quod absurdum est.

IV. Si resurgeret idem corpus: tunc etiam corporis membra; atqui hæc non resurgent: ergo. min. prob. corporis membra pleraque necessaria sunt, vel ad manducandum, bibendum, generandum, vel ad alias actiones hominis: atqui ibi neque manducabitur, neque bibetur: neque nubent, neque nubentur: ergo &c.

V. Dantur in America gentes Antropophagæ, quæ humanis carnibus vescuntur: supposito ergo, quod aliquis ab Antropophago Patre, qui meris carnibus humanis vescebat, generetur, & ipse humanis solum nutriatur carnibus: hic, inquam, ita nutritus, non poterit resurgere cum eodem corpore; quod, cum per alimentum tam Patris, quam proprium, ex aliorum hominum carnibus fuerit desumptum:
illis

illis restitui, & huic novum, atque a prioriè distinctum, corpus attribui debet.

VI. Si idem resurgeret corpus: tunc vel juvenile, vel senile, vel mediæ ætatis? nullum potest dici; nec enim omnes moriuntur, ut senes, vel, ut juvenes &c. ergo si omnes resurgunt ut juvenes, non resument senes idem corpus, sed aliud.

Resp. ad I. Dist. caro, & sanguis, regnum DEI non possidebunt, se solis, sine spiritu DEI. conc. vivificata Spiritu DEI. Nego. vult ergo PAULUS, quod homo, qui secundum carnem, & sanguinem ambulat, si Spiritum Christi non habeat, non sit resurrecturus ad regnum, sed ad iudicium, & pœnam æternam.

Resp. ad II. Cum TERTULLIANO, per veterem, & externum hominem, PAULUM intellexisse pristinam conversationem hominis peccatoris; ait enim: *exspoliantes vos veterem hominem*, nec tamen carnem præcipit, deponamus. Vel potest dici, quod loquatur de corpore, quod, donec vivit, per dies, & ætates deficit, seu, corrumpitur, ac morte etiam dissolvitur usque ad tempus resurrectionis, ubi induet incorruptionem; *oportet enim*, ut ait Apostolus, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Anima autem hic in via quotidie renovatur, per renovationem spiritus, per bona proposita, per profectum in justitia: quæ renovatio in Patria locum non habebit, sed perdurabit perfectio, in vita olim acquisita.

Ad III. Neg. ant. prob. dist. Non esset eadem caro, quoad substantiam. nego. quoad conditionem, qualitates, statum. conc. mutabitur quidem caro in melius, sed non desinet esse eadem caro, quod ita explicat TERTULLIANUS: Periisse, est in totum non esse, quod fuerit: mutatum esse, est aliter esse. Porro dum aliter est, id ipsum potest esse: habet enim esse, quod non perit: mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeo potest demutari quid, & ipsum esse nihilominus, ut & totus homo in hoc ævo substantia quidem sit, multifariam tamen demutetur,

tetur, & habitu, & ipsa corpulentia, & valetudine, & conditione, dignitate, ætate, studio, negotio, artificio, facultatibus, legibus, moribus, nec quidquam tamen admittat hominis, nec ita alius efficiatur, ut cesset idem esse: immo nec alius efficiatur, sed aliud. Hanc formam demutationis divina etiam documenta testantur. Mutatur Mosi manus, & quidem ad instar emortuæ, exanquis, & albida, frigida; sed & recepto calore, & refuso colore eadem caro, & sanguis est. Mutatur postea facies ejusdem in contemptibili claritate. Sed Moyses erat proinde, qui non videbatur &c. ita, & in resurrectionis eventum mutari, converti, reformari licebit cum salute substantiæ. Ita ille de resurrectione carnis. Cap. LV.

Ad IV. Dist. min. Necessaria sunt ad bibendum &c. & ad hunc finem solum ordinantur. nego. insuper ad corporis integritatem. conc. cum enim sine membris corpus non esset integrum, in statu autem integritatis resurgere debeat: sequitur, non sine membris resurrecturum. Etiam si autem ad vitæ necessitates non sint tunc necessaria: merebuntur tamen propriam gloriam, & delectationem, si in vita servierint ad officia pietatis: sicut membra reproborum, quæ servierant ad peccandum, distinctis pœnis punienda sunt.

Ad V. Vix est possibilis ista hypothesis, ut sola humana carne, ac cruore, sine ullo alio cibo, aut potu, pane, aqua, oleribus, carnibus animalium &c. toto vitæ tempore nutriatur. Sed data hypothesi, dico, ejusmodi Antropophagum, cujus substantia ex meris aliorum hominum partibus esset composita, resurrecturum cum aliis: illorum vero comestorum hominum corporibus aliunde a DEO suppleri, quod illis deesset. Certe enim superfuerunt partes multæ crassiores, quæ in substantiam Antropophagi non transierint, uti ossa, quæ DEUS carne vestit: sicut, dum infans unius diei resuscitatur in statu perfecto, v. g. triginta annorum, suppletur aliunde, quod corpori deest, & eadem caro ad perfectam staturam, & incrementum, evehitur.

Ad VI. Sive resurgant ut senes, sive ut juvenes, sive mediæ, ac perfectæ ætatis, quod posterius plerique censent: semper verum est, eundem resurgere hominem; nec enim alius est PETRUS senex, a se ipso juvene, etiamsi corpus accidentaliter mutetur, vel accrescendo, vel deficiendo: secus quotidie esset alius; cum ex diversis substantiis nutritus, nova semper succederet carnis, & sanguinis accessio.

§. VI.

De aureolis.

73 **E**ssentiale beatorum præmium non raro a Theologis, & ab ipso PAULO, corona gloriæ, & aurea vocatur corona, beatis omnibus communis: ex eo; quod viatoribus olim corona, in signum victoriæ, ac triumphi, concedi consueverit. Cum vero tota hominis vita, perpetua sit pugna, & omnes quidem beati dici possint victores, ac corona essentiali redimantur: sunt tamen nonnulli, qui speciali quadam ratione, & propter singulares heroicarum virtutum actus, singulari quoque præ reliquis victoribus corona aurea digni censentur: quæ tamen, cum sit tantum accidentalis, coronæ aureæ essentiali superaddita, *aureola*, quasi parva corona, a Theologis communiter appellari consuevit, definiturque a D. THOMA. in IV. Dist. XLIX. Q. V. A. V. q. 3. Privilegiatum præmium privilegiate victoriæ respondens, quod breviter sic explicatur. Tres sunt præcipui hostes, quos singulari victoria nonnulli superant, ac speciali propterea corona digni sunt: mundus, caro, dæmon. Superatur mundus per Martyrium, tanquam actum heroicum fortitudinis, perferendo persecutiones, & adversitates, propter Christum intentatas. Vincitur caro rebellis per continentiam virginalem, quæ omnem voluptatem carnalem repudiat. Superatur denique dæmon per doctrinam, & prædicationem, qua a cordibus infidelium,
aut

aut malorum Christianorum, expellitur, Christoque, vero Regi, triumphus, ac habitatio paratur. Hinc ergo statuitur

Resolutio. Tres dantur aureolæ: Martyrii, virginitatis, 74 & Doctoratus. Est Comm. Theologor.

Prob. Dictis virtutibus, seu, victoriis, specialia sunt in S. Scriptura promissa præmia: nam primo Martyribus dictum est a CHRISTO Math. X. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.* Atque de iis dicitur Apocal. VII. *Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum:* immo de iisdem intelligitur illud Apocal. II. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi CORONAM vitæ.* II. De virginibus dicitur Apocal. XIV. *Sequuntur agnum, quocunque ierit. . . . & cantabant canticum, quasi novum, quod nemo alius poterat dicere:* quæ expressio specialem prærogativam denotat. III. De Doctoribus dicitur: Danielis XI. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et I. Petri V. *Pascite, qui in vobis est, gregem Domini: & cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

Rationem congruentiæ dat D. THOMAS in IV. Dist. XLIX. 75 Q. V. A. V. q. 3. Aureola est quoddam privilegiatum præmium, privilegiatæ victoriæ respondens, & ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, quæ cuilibet homini imminent, tres aureolæ sumuntur. In pugna enim, quæ est contra carnem, ille potissimum victoriam obtinet, qui a delectationibus venereis, quæ sunt præcipuæ in hoc genere, omnino abstinet: & ideo virginibus aureola debetur. In pugna vero, qua contra mundum pugnatur, illa est præcipua victoria, cum a mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus: unde & Martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur. In pugna vero, qua contra diabolium pugnamus, illa est præcipua victoria, cum aliquis hostem non solum a se, sed a cordibus aliorum removet, quod fit per prædicationem, & doctrinam: & ideo Doctoribus, & Prædicatoribus, tertia aureola debetur.

76 Conditiones, quæ ad reportandas aureolas prædictas requiruntur, hæc recensentur ab auctoribus. Ad *Martyrium* requiritur I. ut mors actu fuerit secuta, aut naturaliter fuisset secutura, nisi miraculo fuisset impedita. II. Ut in odium fidei, vel alicujus virtutis, ad fidem relatæ, mors Martyri inferatur. III. Ut Martyr; sive, testis, ex interpretatione græci vocabuli, voluntatem, saltem virtualement, habeat, moriendi pro Christo, veritate, vel virtute.

77 Ad obtinendam aureolam *virginitatis* requiritur I. perpetua carnis incorruptio, sive, ut quis carnali delectationi nunquam consentiat. II. Constans propositum, servandi virginitatem, usque ad finem vitæ. Itaque aureola virginitatis non conferenda erit præcise illis, qui voto speciali se ad eam obstrinxerunt, sed etiam illis, qui firmo constituto proposito eam custodierunt illibatam: nec etiam illis, qui nullo sensu corporalis delectationis fuerant ad consensum illecti: uti sunt parvuli, ante usum rationis, vel ante annos pubertatis, decedentes. Non fraudabuntur vero hac aureola Virgines illæ, quæ, vi opressæ, abstinuerunt a consensu in delectationem: quæ potius occasio esse posset ad duplicandam coronam. Quodsi Virgo virginitatis propositum sola cogitatione aliquando infregerit, salva manente corporis incorruptione: censet D. THOMAS, eam, renovato per poenitentiam proposito virginitatis, mereri adhuc posse aureolam, non vero, si carnis corruptio accesserit. Ratio est; quia violatio corporis nunquam redintegrari potest: econtra propositum animi &c.

78 Pro aureola *Doctōratus* adipiscenda tria requirunt. I. Ut quis actu doceat, vel prædicet; quia, ut ait D. THOMAS, corona non debetur habitui, sed actuali pugnæ: ex qua ratione eam denegat Prælati, qui, etsi habeant officium prædicandi, actu non prædicant. II. Ut doceat ea, quæ spectant animæ salutem, fidem, ac bonos mores. Unde excluduntur, qui scientias mere profanas docent, saltem sine ordine ad fidem. Dubitare quis posset de Philosophis, & Theologis Scholasticis, si quæstiones mere speculati-

lativas, sine ulla ad dogma relatione, pertractant? III. Ut, qui docet, faciat hoc ad gloriam DEI, & animarum salutem, non ad vanam gloriam, vel quæstum.

Et si vero nullus dicatur hodie Doctor, nisi qui in publica Unversitate Gradum Doctoratus, aut licentiam saltem, adeptus sit: id tamen in cœlesti Academia non expeditur; si modo etiam sine pileo, & ep̄mide, ad justitiam erudiat suos, Deique cultum, ac gloriam promovere, studio suo adlaboret.

Objic. I. Parvuli innocentes coluntur ab Ecclesia, ut Martyres, & Virgines: atqui non habuerunt animum moriendi pro Christo, usu rationis destituti: nec etiam propositum servandæ virginitatis, neque senserunt motus delectationis veneræ: ergo istæ conditiones ad martyrium, & virginitatem, non requiruntur. 79

II. Beatissima Virgo colitur ut Regina Martyrum, etiam si neque pro Christo violenter occisa, neque in corpore lethaliter vulnerata fuerit, prout ait D. HIERONYMUS, Serm. de Assumpt. *Recte dixerim, DEI Genitrix Virgo, & Martyr fuit, quamvis in pace vitam finierit: ergo mors violenta, aut vulnus lethale, ad promerendam aureolam non requiritur.*

Resp. ad I. Innocentes illos nec proprie virginitatis, nec martyrii, aureolam fuisse promeritos, ex rationibus allegatis: sed Martyribus ab Ecclesia annumerantur; quia externa illa passione Christo morienti conformati sunt, & Christus ipse, pro quo fuerant occisi, occasio extitit mortis.

Resp. ad II. Quamvis non desint inter Patres, & Theologos, uti ILDEPHONSUS, ANSELMUS, BERNARDUS, & alii, qui B. Virgini aureolam proprii martyrii attribuunt: communior tamen aliorum cum D. THOMA negat, internum illum dolorem, qui in Virgine B. vehementissimus fuit, ad rigorosum martyrium sufficere. Sicut delectationes tactus, verba sunt D. THOMÆ in IV. D. XLIX. Q. V. A. III. Quæstiuncula II. ad 4. circa quos est temperantia, præcipuum locum tenent inter omnes delectationes interiores,

& exteriores : ita dolores tactus omnibus aliis doloribus præminent ; & ideo difficultati illi , quæ accidit in sustinendo dolores tactus , puta , qui sunt in verberibus , & hujusmodi , debetur aureola magis , quam difficultati sustinendi interiores dolores : pro quibus tamen aliquis non proprie dicitur Martyr , nisi secundum quamdam similitudinem : & hoc modo HIERONYMUS loquitur , scilicet de B. V. ita D. THOMAS. Neque hoc derogat excellentiæ B. Virginis ; quia præmium illud accidentale , quod in Martyribus est aureola , propter eminentem fortitudinem in sufferendo spiritali martyrio , B. Virgini MARIÆ compensatur per præmium essentiale , in quo illa eminenter continetur : aut per signum aliud peculiare , ad demonstrandam excellentiam fortitudinis , quo in gloria etiam accidentali supra omnes Sanctos evehitur. Hæc de aureolis sufficiant : quarum utinam nobis vel unam promereri contingat.

IN OMNIBUS GLORIFICETUR
DEUS.



